DE

HERMOCRATE SYRACUSANORUM IMPERATORE EIUSQUE REBUS GESTIS.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIX. MENSIS IANUARII A. MDCCCLXVIII

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

ANTONIUS STEINS

WUENNENBERGENSIS.

MONASTERII.

TYPIS IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXVIII.

VIRO CLARISSIMO

CASPARO BRUNSTEIN

ADMINISTRATIONI PUBLICAE WUENNENBERGENSI PRAEFECTO
AQUILAE RUBRAE IV. CL. EQUITI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.

Pars prima.

De rerum statu, qualis fuerit Syracusis ante Hermocratem.

Syracusae, non maxima solum et pulcherrima, sed etiam potentissima totius Siciliae urbs atque opulentissima,[1]) cui a stagno Syraco contermino nomen videtur esse datum,[2]) quaeque ex quinque partibus muro centum et octoginta stadiorum cinctis constabat, quarum nomina haec sunt: Ortygia, Achradina, Tycha, Neapolis, Epipolae,[3]) a Doriensi-

---

[1]) Cfr. Cicero in Verr. IV, 53. — Livius XXIV, 33; XXV, 24, 29. Pindar. Pyth. II, v. 1. „μεγαλοπόλιες Συράκοσαι.“ — Theocrit. Idyll. XVI. v. 84. — Diod. XVI, 9. — Strabo VI, 2, 4. — Plut. Nic. c. 17 „πόλις Ἀθηνῶν οὐκ ἐλάττων.“ — Florus II, 6. Polyb. XV, 35 (ed. Im. Bekker.)

[2]) Cfr. Steph. Byz. s. v. Συράκουσαι cfr. etiam s. v. Ἀκράγαντες. Scymnus Chius „περιήγησις v. 281. Raoul Rochette: Colonies Grecques tom. III, p. 181.

[3]) Cfr. Strabo VI, 2, 4. Cicero in Verr. IV, 53. Cicero quatuor modo partes enumerat. Per Diodorum autem et Plutarchum et Livium, gravissimos auctores, quinque partes fuisse, quae dispersae apud eos inveniuntur,[4]) satis constat. Itaque nihil aliud habeo, quod dicam, nisi illum Epipolas, quas praetermittit, ad urbem non pertinentes respexisse, quod serius quatuor partibus iam exstantibus additae[5]) sine dubio saxosi atque exilis soli causa[6]) haud ita frequenter incolebantur. cfr. Goeller ad Thucyd. lib. VI, p. 102 sqq.

bus Corinthiis adiunctis duce Archia anno post Naxum (735)[7]) ad oram Siciliae orientalem conditae sunt.[8])

Nihil certi quidem de statu Syracusarum antiquissimo acceptum habemus, sed penes colonos Graecos, qui Archia duce urbem condiderunt, Gamoros sive Geomoros quos vocant, id est „praediorum possessores", summam fuisse potestatem, ita ut Siculi in insula nati servitute oppressi tenerentur,[9]) veri simillimum est. Quod vero ad urbem eiusque incolas attinet, partim agricultura, cui illos antiquis temporibus, praesertim quum iis ager fertilissimus se praeberet,[10]) studuisse pro certo putari potest, partim mercatura, quae et propter opportunam loci naturam et duos portus commodissimos magna et copiosa fuerit necesse est,[11]) brevi tempore adeo crevit, ut non princeps solum urbs totius Siciliae facta sit, sed etiam haud ita multo postea quam condita est, tres colonias: Acras, Casmenas, Camarinam deduxerit.[12])

Primum bellum gesserunt Syracusani anno 554, quo incolas Camarinae ipsorum coloniae, quae defecerat, postquam

---

[4]) Cfr. Diod. XI, 67, 68; XIII, 7, 11; XIV, 18; XVI, 69. — Plut. Timol. c. 11, 18, 21; Marcell. c. 18; Dio c. 29. — Livius XIV, 21, 22, 23, 32; XXV, 24, 25, 29, 30.

[5]) Cfr. Steph. Byz. s. v. Ἐπιπολαί et s. v. Εὐρύηλος. — Demum Dionysius maior Epipolas muro sexaginta stadia longo sepsit. Ol. 94, 3 = 401 a. Ch. n. cfr. Diod. XIV, 18.

[6]) Cfr. Diod. XIV, 18.

[7]) De anno urbis conditae, qui etiamnunc non satis constat, cfr. Fischer ad a. 734. Ed. Meier in der Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1845 Nro. 109.

[8]) Cfr. Thucyd. VI, 3. Strabo VI, 2, 4.

[9]) Cfr. Ed. Meier in der Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1846 p. 507 sq. cfr. Hense „dissert." 1862 p. 3.

[10]) Cfr. Diod. V, 2; XI, 72. Thucyd. VI, 20 fin.

[11]) Cfr. Strabo VI, 2, 4. — Diod. XIII, 14.

[12]) Scymnus Chius v. 294. Thucyd. VI, 5. Ed. Meyer. Nr. 65 p. 513 (Strabo VI, 2, 5.)

quadraginta sex annos viguit et floruit, devicerunt eorumque urbem funditus everterunt.[13]) Magno spatio interiecto Syracusanis ipsis bellum intulit Hippocrates, Cleandri, Gelae tyranni frater et successor, qui tyrannus fuit ab a. 498 usque ad a. 491; et paene de iis actum fuit — nam ille iis ad flumen Elorum proelio superatis usque ad Olympieum, delubrum Jovis Olympii prope urbem situm iam progressus erat — nisi Corinthii et Corcyraei intercessissent et ea conditione, ut Hippocrati pro captivis reddendis Camarina nuper eversa restitueretur, pacem reconciliassent.[14])

Quod periculum propulsatum vix erat, quum alterum multo maius Syracusis imminuit. Geomori enim sive optimates imperium Syracusarum obtinentes, seditione Callicyriorum[15]) (quod genus hominum apud nos „Leibeigene" vocatur) exorta, a plebe oppressa ideoque minus contenta ex urbe eiecti Casmenas decesserunt et Gelonis, qui Hippocrate in bello contra Siculos ad Hyblam urbem interfecto, quum Geloos seditiosos pugna vicisset et filiis illius imperium ademisset, rerum potitus erat, auxilium imploraverunt.[16]) Gelo precibus

---

[13]) Cfr. Thucyd. VI, 5. Scymnus Chius v. 295 sq. Raoul Rochette: Col. Grecq. tom. III, p. 355. Ed. Meyer 1846. p. 514.

Quo iure et unde hauriens Weberus, vir doctissimus, hoc loco centum annos afferat, ita ut Camarina a. 500 vel 499 deleta sit, non intelligo. Scymnus Chius diserte dicit „quandraginta sex annos." cfr. Weber „Allgemeine Weltgeschichte." Bd. II p. 195.

Herodotus eius belli mentionem non fecit et sine dubio errore factum est, ut Hensius, vir doctissimus, eum hoc loco citaverit. cfr. „dissert. de Hierone" p. 3.

[14]) Cfr. Herod. VII, 154 sq. Thucyd. VI, 5. Diod. excerpt. p. 558 ed. Wesseling.

[15]) De Callicyriis cfr. Hense in „dissert. de Hierone" p. 3 sq, Eduard Meyer 1846 p. 507.

[16]) Cfr. Herod. VII, 154 sq. Dionys. Hal. Arch. VII init. Pausan. VI, 9, 5 (ed. Im. Bekker) falso dicit, hoc anno Gelonem Syracusas expugnasse, quas eum cepisse constat anno 485 = Ol. 73, 4. Cfr. Clinton. Fast. Hell. in app. p. 266.

optimatium, ut ipsos Syracusas reduceret, obsecutus urbe ipsa potitus est, quam, postquam imperium Gelae Hieroni fratri mandavit, caput totius Siciliae insulae ut faceret operam navabat. Atque primum quidem opes Syracusarum ut amplificaret et augeret, cunctos Camarinaeos diruta Camarina Syracusas transductos et maiorem partem incolarum Gelae cives fecit. Deinde opulentiores et Megarensium, qui ab eo oppugnati et tributis impositis ad desperationem acti se ipsius imperio ac ditioni subiecerant,[17 a)] plebe belli insonte servilem in modum in terras alienas vendita, et Euboensium,[17b] qui in Sicilia sedes ac domicilia incolebant, plebe eodem modo atque Megarensium a locupletibus discreta, civitate donavit Syracusana.[18)] Tali modo Syracusae ita auctae et amplificatae nomenque Gelonis tam celebre factum est, ut vel Lacedaemonii et Athenienses eorumque socii legatos Syracusas mitterent, qui a Gelone auxilium contra Xerxem, regem Persarum in Graeciam progredientem, implorarent.[19)] Quamquam Gelo non abhorruit, tamen se auxilium laturum pollicitus est ea modo conditione, ut dux et imperator esset Graecorum adversus Xerxem. Quod quum ei a legatis non concederetur, quin etiam ut nauticis praeesset denegaretur, eos re infecta dimisit.[20)] Attamen Gelo sub idem tempus bellum gessit. Carthaginienses enim sive a Xerxe concitati, sive sponte,[21)] bello tres annos parato, quibus terrestris exercitus tribus milibus non inferior, naves longae plures duo milia et praeter has onerariae ultra tria milia

---

[17 a)] Cfr. Polyaen. I, 27, 3.

[17 b)] Euboea fuit parva Siciliae urbs, (cfr. Herod. VII, 156.) quae, ut Strabo X, 449 narrat, a Gelone deleta est.

[18)] Cfr. Herod. VII, 155 sq.

[19)] Cfr. Herod. VII, 157.

[20)] Cfr. Herod. VII, 158 sqq.

[21)] Cfr. Diod. XI, 20. cfr. praecipue Plass, „die Tyrannis der Griechen“ I, p. 287, cuius sententiae libentissime assentior. — cfr. Hense „dissert.“ p. 6

coacta erant, contra Theronem, Agrigentinorum tyrannum, in quem a Terillo, tyranno Himerae, quum ab illo Himera eiectus esset, in auxilium vocati erant, profecti sunt. Theron autem hoc modo gravissime pressus Gelonem Syracusarum tyrannum adiit. Cuius precibus obsecutus Gelo auxilium tulit et eodem die, quo Persae secundum Diodorum[22]) duce Themistocle apud Salaminem, secundum autem Herodotum duce Leonida ad Thermopylas a Graecis fugati sunt, Carthaginiensibus talem attulit cladem apud Himeram, ut centum quinquaginta milibus fere militum occissis ceteri se dedere coacti sint. Carthaginienses de clade tristissima certiores facti, ne Gelo Carthaginem ipsam peteret veriti, legatos miserunt, qui multis cum lacrimis orantes pacem adepti sunt ea conditione, ut duo milia talenta in belli impensas solverent et duo sacella, in quibus foederis tabellae consecrarentur, exstruerent.[24]) Quibus rebus gestis opes Syracusarum magis magisque confirmatae et munitae sunt.[25]) Urbs autem ipsa et praecipue templa deorum ex praeda facta Gelonis iussu magnificentissime sunt exornata. —

Sed optime de civitate meritus est Gelo, quod studiosissime diligentissimeque saluti Syracusarum prospiciens et proventui, prudentia atque aequitate res urbis regebat ac gubernabat, neque minus erga hostes facilem comemque praebebat, quam erga cives omnesque benevolentia ita sibi devinciebat, ut tota Sicilia usque ad eius mortem bona pace uteretur.[26]) Civitatem autem, maxime quum pace fruitur domestica exter-

---

[22]) Cfr. Diod. XI, 24.

[23]) Cfr. Herod. VII, 166.

[24]) Cfr. Diod. XI, 20—27. Herod. VII, 165 sqq.

[25]) Permagni captivorum numeri memineris, quos Gelo partim inter socios distribuit, partim in publicum retulit. cfr. Diod. XI, 25, secundum quem caedendis saxis, ex quibus non maxima solum deorum templa aedificata, sed etiam cloacae ad aquas ex urbe deducendas subterraneae communitae sunt, inserviebant.

[26]) Cfr. Diod. XI, 25 sq. et 38.

nis hostibus pacatis, amplam et florentem fieri, si populus et tyrannus coniuncti rei patriae communi serviant, quis est, qui non intelligat?

Gelo postquam septem annos prudenter ac benigne regnavit, morbo correptus iam de vita desperans Hieroni fratri natu maximo imperium tradidit, quum filius, cuius tutelam Polyzelo fratri mandavit, minor esset, quam ut rerum publicarum administrationem suscipere posset. Eundem Polyzelum, cui etiam uxorem Demareten collocavit, praefecit exercitui. Mortuo [27]) (Ol. 75, 3 = 478) [28]) cives monumentum magnificae structurae erexerunt heroicosque exhibuerunt honores. [29])

Hieroni, quamquam in altissima pace summam imperii suscepit, primo tamen contra omnia mala novo cuique principi minantia, qui praeest regno, cuius vincula timore modo et domini reverentia continentur et in quo obedientia civium atque adeo necessariorum, quocunque modo impetretur necesse est, pugnandum erat.

Postquam bene de Locris Epizephyriis meritus est eo, quod eos ab Anaxilao, Rhegii tyranno, regni amplificandi cupido, contra quem ab illis pressis in auxilium vocatus erat, liberavit, [30]) ei Polyzelus frater, quem regnum petere ratus est, praesertim quum magna apud Syracusanos polleret gratia, visus est periculosus. Quem ut plane pessumdaret, quum securitatis suae causa magnum mercenariorum numerum contraxisset et peregrinis satellitibus se munivisset, ducem auxiliorum Sybaritis, qui a Crotoniatis vexabantur, quo bello eum interiturum esse sperabat, auxilio

---

[27]) Gelo aqua intercute divexatus mortuus esse dicitur. cfr. Plut. de Pyth. Orac. 19, p. 403. Wesseling. ad Diod. XI, 38.

[28]) Cfr. Clinton. Fast. Hell. in app. p. 266.

[29]) Cfr. Diod. XI, 38. Plut. Timol. c. 23.

[30]) Cfr. Schol. ad Pyth. II, 34 et I, 98. cfr. Hense „dissert." p. 20 sq. Plass, „Die Tyrannis der Griechen" I, p. 272.

misit. (476) Sed aliter cecidit res atque Hiero speraverat. Polyzelus enim confugit ad Theronem, Agrigentinorum tyrannum, qui ei auxilium contra irascentem et infestum fratrem atque praesidium pollicitus est.[31]) Dubium sane semper manebit, utrum Polyzelus, ut secundum Scholiasten Timaeus memorat, postquam eius belli curam in se recepit et rem dextre gessit, an mandato omisso, quod Diodorus dicit, ad Theronem confugerit. Mihi quidem videtur Polyzelus, cui suspicio atque infestus fratris animus ignota non poterant esse,[32]) exercitu relicto, ut copiae ei traditae dissolverentur, extemplo ad Theronem confugisse, quum aliter fratrem inimicum ad suam ipsius perniciem adiuvisset. Nam, ut Polyzelum hoc proelio vitam amittere potuisse transeamus, quae spes ei erat, inimicitiam fratris et insectationem finem habituram, etiamsi rem dextre gessisset? Qua igitur re Polyzelus, ut periculum obiret, quo propulsato ei alia impendebant, impelli poterat? Nonne cuique persuasum est, iram Hieronis atque odium aucta esse, si Polyzelus bellum feliciter ac praeclare confecisset?

Utcunque res se habet, quam periculosa illa Polyzeli cum Therone coniunctio Hieroni fieri potuerit, neminem effugiet, dummodo illorum utrumque domestici optimatibus esse praefectum, hunc mercenariis niti externis consideret. Attamen haec res Hieroni prosperius cecidit, quam primum visum erat. Bellum quidem inter Agrigentinos et Syracusanos exarsit, tamen paullo post Hieronis magnitudine animi, quum imperium ei ab Himerensibus Thrasydaeo, qui Himerae urbi princeps datus erat, propter eius insolentiam dominationemque asperam vehementer iratis et offensis oblatum repudiasset, et Theronem certiorem fecisset de defectione, pax composita est.

---

[31]) Diod. XI, 48. Schol. ad Olymp. II, 29.

[32]) Cfr. Diod. XI, 48, qui dicit: „τοῦ δὲ Πολυζήλου πρὸς τινὰ στρατείαν οὐχ ὑπακούσαντος παρὰ τὴν ῥηθεῖσαν ὑποψίαν.

Qua occasione Theron non modo inter Polyzelum et Hieronem gratiam restituit, sed huic etiam Xenocratis, Theronis fratris, filia in matrimonium collocata est.[33]) Ad hanc reconciliationem et amborum fratrum et Theronis Hieronisque, quae huic sine dubio commodo fuit maximo, accedit, quod principes ac populi totius Siciliae bene de eo existimabant, ita ut tyrannidis suspicio, si non funditus tolleretur, tamen minueretur aliquanto. Deinde Hiero urbes Naxum et Catanam, quarum incolas eiectos in Leontinorum civitatem transscripserat, implevit decem novorum colonorum milibus, quorum quinque milia ex Peloponneso collecti erant, totidemque Syracusani additi, Catanaeque urbi maiori, cui Dinomenem filium praefecerat, novum nomen indidit Aetnae. (Ol. 76, = 476.[34]) —

Neque vero Hiero more tyrannorum imperium confirmavit, sed contra apud Siciliae populos nomen principis excelsi tutorisque infirmorum sibi paravit. Cumanis enim a Tyrrhenis bello oppressis per legatos ab eo auxilium petentibus obsecutus validam triremium classem subsidio misit, qua illos pugna navali ita vicit, ut vires eorum frangerentur et Cumanis depelleretur periculum. (Ol. 76, 3=474).[35]) —

Iam bene de Agrigentinis meritus est. Therone enim, Agrigentinorum tyranno, quum aequissimo imperio atque sapientissimo sedecim annorum gratiam civium et auctoritatem sibi conciliasset, mortuo (Ol. 77, = 472), Thrasydaeus filius rem publicam administravit, qui violentissima atque crudelissima dominatione magnum civium odium in se convertebat. Neque id solum egit, sed multis militibus conductis et delectu Agrigentinorum Himerensiumque habito, etiam Syracusanis bellum infestissimum inferre ausus est. Hiero

---

[33]) Cfr. Diod. XI, 48. — Boeckh explicat. Pind. p. 118 sq., cfr. praecipue Hense in dissert. de Hierone p. 19 sq.

[34]) Cfr. Diod. XI, 49.

[35]) Cfr. Diod. XI, 51.

autem magno exercitu instructo ei obviam profectus proelio atroci eum ita superavit, ut copiis disiectis salutem peteret fuga ad Megarenses, Nisaeam in Graecia sitam incolentes, apud quos non multo post capitali iudicio condemnatus e vita decessit. Agrigentini legatione ad Hieronem missa pacem ac libertatem recuperarunt. Ol. 77, 1=472.[36])

Quodsi Hiero et splendidis victoriis et modico ac prudenti imperio, quibus rebus ad augendas confirmandasque Syracusas magnum momentum attulit, de civitate Syracusana bene iam meritus est, eaque re magnam sibi peperit gloriam atque laudem, non minus, ut opinor, quippe qui semper rationem conservandae pacis haberet, eo quod literarum atque artium cultores per tempus tyrannidis suae protegebat, quin etiam claros poetas ad aulam suam vocabat, qua re animo erudiendo et excolendae atque exornandae civium vitae plurimum profuit.[37])

Tali modo quum undecim annos et septem menses prospere Syracusis regnasset, Aetnae in urbe ab ipso condita mortuus est (Ol. 78, 2 = 467) et post mortem ut eius urbis conditor heroicos honores recepit.[38])

Thrasybulus fratri successit. Is autem quum superbia caedisque cupiditate numerosa militum mercede conductorum manu innixus, maximum civium odium in se accendisset, a Syracusanis sollicitatis, postquam Geloi, Agrigentini, Selinuntii, Himerenses, ceteraeque Siculorum urbes mediterraneae subsidia quam celerrime miserunt, iam undecim mensibus post eiectus apud Locros mortem obiit.[39])

Quo ex tempore Syracusis, quae decem et octo annos (ab a. 485 usque ad a. 467) tyrannis obnoxiae fuerunt, ea

---

[36]) Cfr. Diod. XI, 53. et Wesseling. ad hunc locum.

[37]) Cfr. Hense p. 30. sqq.

[38]) Cfr. Diod. XI, 38, 66. — Clinton. Fast. Hell. in app. p. 267. De tempore imperii Hieronis cfr. etiam Hense p. 28.

[39]) cfr. Diod. XI, 67 sq.

civitatis forma, qua summum imperium est penes populum, instituta est, quae sexaginta annos usque ad Dionysium maiorem tyrannum (406) permansit.[40]) Minime autem eo imperio instituto quies et ordo Syracusis in perpetuum restituta erant; e contrario haud multo post inter veteres incolas et peregrinos, [41]) quum hi ad munera publica et honores civiles non admitterentur, sive eos esse indignos censebant, sive timebant, ne imperium tyrannicum renovare conarentur, discordiae ortae sunt, quae etiam omnes fere in ceteras Siciliae urbes exemplum Syracusarum secutas diffusae demum a. 461 communi decreto ita sedatae sunt, ut sub imperio tyrannorum expulsi reciperentur in possessiones pristinas, peregrini autem in fines Messaniorum transferrentur (Ol. 79, 4 = 461)[42 a]). Concordia autem hoc pacto constituta permansit modo usque ad a. 454, quo non bellum tantum inter Egestanos et Lilybaeos de agro in finibus sito exarsit, sed etiam nova civium in urbibus recensione et agrorum distributione facta, propterea quod sorte multi novi ingratique cives adscripti erant, intestinae dissidiae et factiones ortae sunt, quibus Syracusae vehementissime agitabantur. Tyndarides quidam, vir temeritate atque confidentia inflatus gloriaeque cupidus, quum pauperum et derelictorum civium, qui novam rerum conditionem aegre ferebant, pecunia ac promissionibus factionem sibi comparasset, tyrannidem in his temporibus ut restitueret, enixus est.[42 b]) Sed tantum abfuit, ut assequeretur, id quod sibi proposuerat, ut fautoribus victis comprehensus supplicio afficeretur. Quo factum est, ut, ne quis subsequenti tempore simile quidquam conaretur, Petalismus qui vocatur, ostracismo Atheniensium con-

---

[40]) Cfr. Diod. XI, 68 — Clinton Fast. Hell. in app. p. 267.

[41]) Diodorus (XI, 72) commemorat supra decem milia peregrinorum, quorum septem milia et plures ad id tempus supererant.

[41 a]) Cfr. Diod. XI, 76.

[42 b]) Cfr. Niehues „dissert." 1856 p. 3 sqq.

sentaneus institueretur, quo plebi singulos cives opibus atque auctoritate pollentes, qui imperio populi periculosi esse videbantur, suffragio completorum oleae foliorum in quinque annos ex urbe relegandi facultas daretur. Sed quum hac re efficeretur, ut viri honestissimi et prudentissimi aut timore legis aut taedio adducti a negotiis publicis abstinerent, ita ut audacissimi, stultissimi, loquacissimi, rerumque novarum cupidissimi cives, qui populi ductores et calumniatores ut partium studium sustentarent et vulgus malis artibus in errorem inducerent ad resque renovandas ac perturbandas concitarent, summam operam navabant, reipublicae administrationem susciperent, lex abolita est.[43])

Tales res ad civitatem Syracusanam aptas esse perdendam quamquam nemo non intelligit, nihilominus Syracusae, quum et mercatura et artes literaeque a tyrannis maxime Hierone apertae atque adauctae magis magisque florerent, in dies ampliores et opulentiores fiebant, ut etiamtunc in illis rerum perturbationibus ac motibus pericula iis imminentia externa depellere possent. —

Atque profecto Syracusani Apelle quodam duce non Etruscos modo mare latrociniis infestum reddentes proelio navali ita devicerunt, ut numerum captivorum magnum magnasque opes Syracusas egerint (Ol. 81, 4 = 453), sed etiam Ducetium, veterum Siciliae incolarum principem, qui, quum omnes praeter Hyblam urbes Siculorum in unam civitatis communionem redegisset, Aetnam et Motyum, colonias Graecas, Agrigentinosque auxilium ferentes invasit, ad eam desperationem adduxerunt, ut se ipsum universae civitati supplicem et regionem ei subditam in Syracusanorum manus et fidem tradiderit. Supplex supplicio quidem liberatus, tamen Corinthum relegatus est. (Ol. 82, 2 = 451)[44])

---

[43]) Cfr. Diod. XI, 86 sq.

[44]) Cfr. Diod. XI, 88—93.

Qua fortuna Syracusani ita elati sunt, ut totius insulae sub potestatem suam redigendae consilium ceperint. Atque primum quidem a. 427 (Ol. 88, 2) bellum coortum est inter Leontinos, quorum urbs colonia erat Chalcidensium, et Syracusanos. A Leontinis steterunt urbes Chalcidicae: Naxus et Catana,[45]) et Camarina urbs Dorica, quibuscum in Italia secundum cognationis ius Rhegini se coniunxerant; a Syracusanis praeter Camarinam urbes Doricae omnes: Gela,[46]) Acragas,[47]) Selinus,[48]) Messana,[49]) Himera,[50]) quibus in Italia Locri se addiderunt. Leontini bello graviter pressi et superbis a Syracusanis ne superarentur in summo periculo versati, legatos, quorum princeps fuit Gorgias,[51]) clarissimus ille orator, Athenas miserunt, Athenienses oratum, ut quam celerrime auxilium ferendo periculum instans urbe propulsarent. Athenienses res adversas precesque gentilium praetendentes, re vera autem ut commeatum, qui ex illis regionibus in Peloponnesum advehebatur, prohiberent et tentarent, quid in Sicilia capere possent, classem viginti navium Lachete et Charoeade ducibus in Siciliam miserunt.[52]) Neque vero, ut opinor, Athenienses quantopere desiderio Siciliae insulae, quam possidendam propter magnam fertilitatem amoenitatemque iam pridem captaverant, sub potestatem

---

[45]) Cfr. Diod. XIV, 14 — Thucyd. VI, 3.

[46]) De Gela cfr. Herod. VII, 153. Thucyd. VI, 4. Steph. Byz. s. v. Γέλα. Raoul Rochette tom. III, p. 247.

[47]) De Acragante sive Agrigento cfr. Thucyd. l. c. Raoul Rochette tom. III, p. 363.

[48]) De Selinunte cfr. Thucyd. l. c. et VII, 57. Diod. XIII, 59. Raoul Rochette III, p. 325. Scymnus Chius v. 292.

[49]) De Messana cfr. Thucyd. l. c. Raoul Rochette I, p. 374 et III, p. 283 sqq. cfr. etiam Strabo VI, 2, 26.

[50]) De Himera cfr. Thucyd. VI, 5. Scymnus Chius v. 289. Raoul Rochette III, p. 319 sqq.

[51]) Cfr. Plato „Hippias maior“ p. 282.

[52]) Cfr. Thucyd. III, 86 — Diod. XII, 53 sq.

suam redigendae incensi, tantopere singulari Gorgiae oratione de vetere Atheniensium cum Leontinis societate et Jonia origine habita, cuius eximiam quidem artem dicendi valde admirati sunt, persuasum habentes legatis auxilium implorantibus obsequendi consilium ceperint.

Justinus (IV, 3) narrat, Athenienses non Leontinis, sed Catiniensibus auxilium tulisse, et rem ita exponit: primum Lamponium ducem cum classe in Siciliam missum esse, ut, sub specie ferendi Catiniensibus auxilii tentaret Siciliae imperium; deinde quum prima initia hostibus frequenter caesis prospera fuissent, Athenienses maiorem denuo classem et robustiorem exercitum Lachete et Charoeade ducibus in Siciliam misisse. Quod ad primam narrationem attinet, mea quidem sententia eo inclinat, ut eam falsam esse dicam, quod alius scriptor eius rei mentionem non facit. Justinum de ea re bene edoctum non esse inde sequitur, quod etiam eam rem, quae per gravissimos auctores Thucydidem et Diodorum constat: „Athenienses Leontinis, non Catiniensibus auxilium tulisse“ in peius mutavit. Nimirum est hic error non ita magnus et Justinus, quum Catinienses socii Leontinorum belli participes fuerint, in eum facillime induci potuit. Mirum autem est, Bloomfieldium, virum doctissimum, confirmare, haec, quae illa prima narratione produntur, non ita cum rebus belli Peloponnesiaci nexa esse, ut mentionem eorum fieri necesse fuerit — (cfr. Poppo ad Thucyd. III, 86). Similiter certe, ut opinor, cum iis est nexa, atque altera narratio. Etiamsi res ita esset, ut Bloomfieldius dicit, tamen non intelligo, cur Diodorus eam omiserit, quippe qui non tam bellum Peloponnesiacum, quam res Siculas ante oculos ponat.

Utcunque res se habet, classis Atheniensium militibus instructa cursum direxit ad Rhegium. Eam vero classem centum navium fuisse, quibus Rhegini centum addiderint, ut Diodorus XII, 54 dicit, id est, quod nemo non refutaverit. Thucydides III, 86 init. diserte dicit: Athenienses viginti, Rheginos autem decem modo praebuisse.

Athenienses igitur cum classe triginta navium Rhegio profecti insulas, quae Aeoliae sive Lipareae vocantur,[53]) pervagati sunt, et agris Liparaeorum, quod Syracusanis auxilium ferebant, vastatis, quum incolae se dedere cogi non possent, Rhegium redierunt.[54])

Deinde Charoeade duce Atheniensium a Syracusanis in proelio interfecto Laches cum sociis Mylas,[55]) Messaniorum urbem, oppugnavit, unde proelium concitatum est, in quo Athenienses, quamquam finitimi Siculi Mylaeis auxilio venerant, tam splendidam reportarunt victoriam, ut secundum Diodorum mille milites occiderint sexcentosque ceperint.[56]) Haud ita multo post Athenienses quum in Locridem navigassent, quinque navibus captis, Locros, qui resistebant, in fugam verterunt expugnaruntque castellum,[57]) quod ad flumen Halecem situm erat.[58]) Subsequenti hieme (426) Athe-

---

[53]) Quod ad numerum earum insularum attinet, Diodorus V, 7 memorat septem, quarum nomina haec sunt: Strongyle — Euonymus — Didyme Phoenicusa – Ericusa — Hiera — Lipara, unde etiam nomen: „insulae Lipareae“) — cfr. praeterea de iis insulis Thucyd. III, 88. Paus. X, 11, 3 (ed. Im. Bekker.) Scymnus Chius v. 262 sqq. Raoul Rochette III, p. 338.

[54]) Cfr. Diod. XII, 54 — Thucyd. III, 88.

[55]) De Mylis cfr. praeter Thucyd. III, 90 Scymnus Chius v. 287 sqq. Raoul Rochette III, p. 323.

[56]) Cfr. Thucyd. III, 90 – Diod. XII, 54.

[57]) Nemo dubitet, quin περιπόλιον litera minuscula scribendum sit, nec aliud significet, nisi φρούριον τῶν περιπόλων, id est castellum — stationem, cfr. Thucyd. III, 115 ubi ipse eundem locum memorans dicit: „τὸ Λοχρῶν φρούριον, ὃ πρότερον Λάχης εἷλεν,“ — cfr. etiam Kuhn ad. Poll. IX, 16, qui de iis περιπολίοις dicit: „Sunt castella, in quae se recipiebant περίπολοι, id est: circuitores, qui ad custodiendam regionem hinc inde vagabantur.“

[58]) Cfr. Thucyd. III, 99 — Diod. XII, 54. Diodori narratio de bello Atheniensium cum Mylaeis et Locris gesto tam imperfecta indiligensque est, ut, quum unum castellum ab Atheniensibus captum memoret, in dubium venire possimus, utrum castellum Locrorum an Mylaeorum intellexerit. Comparatione Thucydidis III, 90 et 99 ap-

nienses cum sociis Nessum sive Inessam, Siciliae oppidum, aggressi sunt; sed quum eo non expugnato abire coacti essent, Syracusani ex arce eius oppidi agmen novissimum sociorum invaserunt, quorum non paucos occiderunt, ceteram exercitus partem in fugam verterunt. Quo facto Athenienses duce Lachete navibus in fines Locridis ad Caicinum flumen appulsis, Locrenses, qui cum Proxeno restiterunt, circiter trecentos profligarunt armisque detractis profecti sunt.[59]) Non multo post in fines Himeraeorum, quo Sicilienses ex locis mediterraneis progressi erant, eruptione facta, Rhegium se receperunt, unde sub extremam hiemen Pythodoro duce, Lachetis in classis praefectura successore, ad Locrorum castellum, quod Laches iam antea ceperat, profecti sunt; a Locris autem proelio victi discesserunt.[60])

Postero anno (425) Syracusani decem navibus et totidem Locrorum deductis ab ipsis oppidanis acciti Messanam occuparunt eo consilio, ut ab Atheniensibus deficeret, quod et intelligebant hunc locum esse opportunissimum, unde Siciliam invaderent, et timebant, ne Athenienses Messana sta-

---

paret, duo castella, alterum Locrorum, alterum Mylaeorum ab Atheniensibus capta esse.

Diodori narrationem sententia addenda, quam librarii propter parem exitum negligentia facile praeterire potuerunt, integram reddere possumus. Quod facere eo magis ius habemus, quum sententiae inter se non recte cohaereant. Diodorus enim primum exponit, quod Thucydides postea quidem factum esse docet, Athenienses in Locridem cum classe profectos, quinque navibus captis, castellum oppugnavisse; deinde Siculos finitimos Mylaeis, nondum commemorato, Athenienses iis intulisse bellum, auxilio venisse. Quodsi supplemus: „Hoc castello capto“ Mylaeorum castellum obsederunt, contextum restituimus, atque quis est, qui non videat, Diodori narrationem Thucydidis congruere, eo excepto, quod bellum cum Locris gestum secundum Thucydidem post proelium apud Mylas commissum ponimus, et si quis terrarum descriptionem respiciet, id verum putare non dubitabit.

[59]) Cfr. Thucyd. III, 103.

[60]) Cfr. Thucyd. III, 115.

tione electa maiori belli apparatu aggrederentur; adiice quod Locrenses inimicitia Rheginorum adducti illos incitarunt, ut hi terra marique graviter bellarentur. Locri autem ipsi quum toto exercitu in fines Rheginorum eruptionem fecissent, agris vastatis cum copiis terrestribus quidem domum redierunt, naves praesidio reliquerunt Messanae.[61]) Sub idem tempus ab Atheniensibus quadraginta naves instructae Eurymedonte et Sophocle ducibus in Siciliam missae sunt, a quibus maiori bellum auctoritate gereretur.[62]) Syracusani eorumque socii quum naves, quae apud Messanam erant, viginti numero, iis auxissent, quas paraverant, praecipue per Locros sollicitati bellum contra Messanam inceperunt, et quidem exiguum navium Atheniensium numerum videntes statuerunt, committere proelium navale. Itaque in freto inter Rhegium et Messanam sito, quod Thucydides Charybdim dicit, sub serum diei proelium navale editum est, ex quo Athenienses superiores discesserunt, ita ut Syracusani, una navi amissa, quum celerrime quidem se reciperent, tamen ab illis insequentibus pressi detrimentum duarum navium fecerint.[63]) Haud multo postea quam Messanii a Naxiis cladem acceperunt, qua supra mille milites interfecti sunt, omnes naves ad Messanam appulsae aliae ab aliis separatae domum redierunt. Quod vix factum erat, quum Leontini eorumque socii in iis Athenienses Messanam, opes éius attritas esse rati, oppugnatum profecti sunt. Sed Messanii iis Locris, qui post cladem acceptam urbis praesidio relicti erant, Demotele duce[64]) adiunctis, exercitum Leontinorum eruptione facta magnam partem in fugam verterunt multos-

---

[61]) Cfr. Thucyd. IV, 1.

[62]) Cfr. Thucyd. IV, 2. Diod. XII, 54.

[63]) Cfr. Thucyd. IV, 24 sq.

[64]) Quo iure Grotius (cfr. Geschichte Griechenlands Bd. IV, p 105 Demomeles pro „Demoteles“ scripserit, mihi perspicuum non est. Quod vero

que occiderunt.[65]) Quod quum animadvertissent, Leontini ex navibus succurrerunt, et, postquam Messanii successu territi perturbatique in urbem pulsi sunt, erecto tropaeo Rhegium se receperunt. Quibus omnibus rebus gestis Graeci, qui in Sicilia erant, sine auxilio Atheniensium alii alios bello infestabant.[66])

Quodsi quae proxime dicta sunt, respicimus, haec proelia parvula atque concursationes nihil aliud effecisse, nisi ut populi Siciliae inter se debilitarentur, populisque peregrinis expugnatio totius Siciliae facilis redderetur, nobis perspicuum est. Et sine ulla dubitatione etiam Syracusani in certam perniciem incurrissent. At vero illo tempore periculoso Syracusis vivebat Hermocrates, qui vir animum in patriam ipsam et salutem adducens, omnia pericula, quae interitum eius afferre possent, ut populsaret, omnibus nervis connitebatur. De eo eiusque rebus gestis hoc libello accuratius disseremus.

---

praesidium Locrorum cum Demotele Messanam post cladem acceptam „missum esse“ scribit, utique parvus error est, quum Thucydides IV, 25 id in urbe „relictum esse“ diserte memoriae prodiderit.

[65]) Cfr. Thucyd. IV, 25.

[66]) Cfr. Thucyd. l. c.

Pars altera.

Hermocrates quae ante expeditionem et inter expeditionem Atheniensium in Siciliam fecerit.

Hermocrates Syracusis, in maximo et opulentissimo totius Siciliae oppido, nobili[1]) loco natus est. Pater eius fuit Hermon,[2]) de matre nihil nobis traditum est. Neque de anno, quo natus sit, neque de pueritia et adolescentia rerum scriptores quidquam memoriae prodiderunt. Sed ex iis, quae Hermocrates in foro et in publico gessit, ingenium eius decorum atque praeclarum quam optime excultum esse,

---

[1]) Cfr. Diod. XIII, 96, qui refert, Dionysium maiorem, Syracusarum tyrannum, Hermocratis filiam in matrimonium duxisse eo consilio, ut ad regnum stabilius confirmandum affinitate nobilem domum sibi astringeret.

Coniici potest, gentem, a qua Hermocrates oriundus fuerit, unam ex illis fuisse, quae originem suam ad Geomoros nobis iam notos retulerit, quaeque non tempore modo tyrannorum, sed etiam post imperium populi institutum et propter divitias et nobilitatem insitam plurimum valuerit auctoritate. Nam peregrinam gentem quum ad tantam auctoritatem tum ad tantas divitias pervenisse, quantis Hermocrates fruebatur, non temere cogitari potest.

[2]) Cfr. Thucyd. VI, 32, 72. IV, 58.

perspicuum est. Quid? si eius orationes a Thucydide memoriae traditas[3]) respicimus, nonne censemus, eum scholas rhetorum tunc Syracusis florentes[4]) frequentavisse et maximo cum studio incubuisse in eloquentiam?

Primum occurrimus Hermocrati a. 424, quo in concilio Gelae convocato eximiam orationem habuit. Quum enim civitates Siciliae bellum inter se gerentes Athenienses, quippe qui a Lacedaemoniis a. 425 proelio apud Pylum commisso victoriam reportassent,[5]) feliciter pugnare viderent, ne hi bellum in Sicilia enixius gererent timentes, hostem periculosum ut removerent, controversias componere satius putabant. Itaque primum induciis inter Camarinaeos et Geloos factis ceterae quoque Siciliae civitates Gelam legatos miserunt, qui de conditionibus pacis agerent. Atque quum primo dissentirent et utrimque diversa postularentur, ita ut acris altercatio orta sit, surrexit Hermocrates ad dicendum. Idem ipse salutem totius Siciliae una in concordia positam esse ratus avidusque pacis communis restituendae dissidentes copiosissima et ornatissima oratione in hunc fere modum exhortatus est.[6]) Primum quidem molestiis belli praetermissis audientibus bellum domesticum esse intempestivum exposuit. Athenienses enim Graecorum potentissimos atque opulentissimos tum quidem paucis cum navibus adesse ad observanda

---

[3]) Cfr. Thucyd. IV, 59—65; VI, 33 - 35; VI, 76—81.

[4]) Post tyrannos eiectos Syracusis multae causae privatae de veteribus iuris rationibus exortae sunt. Quo factum est, ut eloquentia excoleretur. Atque Corax quidam eiusque discipulus Tisias sub idem tempus prima eloquentiae praecepta dabant et in scholis docebant, quae postea erudiebant Gorgias et Protagoras. Ille, cui etiam laus tribuenda est, quod primus varias dicendi artes invenit, inter omnes eloquentiae studio ac professione adeo excelluit, ut mercedis loco centum a singulis discipulis minas acciperet. cfr. Plato „Hipp. mai.“ p. 282 B. Diod XI, 53.

[5]) Cfr. Thucyd. IV, 38.

[6]) Cfr. Thucyd. IV, 58.

ipsorum peccata; quum autem Sicilienses domesticis discordiis affiictos esse cognovissent, maiori cum classe venturos ad totam Siciliam occupandam, itaque communi saluti esse prospiciendum. Nam illos et licentia publica et vetere imperii maritimi cupidine et suis utilitatibus semper servientes nihil sane intentatum relicturos esse, quo efficerent, ut discordiae intestinae crescerent et augerentur neque insidias semper struentes quietos fore, donec omnes Siciliae civitates sine discrimine originis sibi subiecissent. Quam ob rem non separati — Jones et Dores — neque enim Chalcidenses propter cognationem Jonicam ab impetu Atheniensium dolosorum satis tutos fore — sed ut incolae eiusdem civitatis omnibus viribus atque opibus Atheniensium quaestus et imperii cupidorum occulta consilia cohiberent. Neque solum commoda maxima, quae pace cum Atheniencibus facta parerentur, attente intuenda esse, sed praecipue cogitandum, pacem communi omnium consensu summum esse bonum. Quam etiam singulis, ut alia omitteret, multo potiorem esse bello, quod bonum esset cuique, id conservare malumque propellere; itemque in pace honores et dignitates aliaque multo tutiora esse. Quibus rebus consideratis ostendit futura quam incerta essent, quapropter utraque pars ea, quae sibi proposuisset, omitteret, ut pax aeterna coagmentaretur, sin minus, induciis in quam longissimum tempus factis discordias quidem privatas in aliud tempus differret, ut unusquisque, periculoso atque magis magisque instanti hoste coniunctis viribus e terra remoto, perpetua felicitate uti, obtinere civitatem liberam, illisque, qui aut bene aut male meriti fuissent, gratiam pro meritis referre posset. Quod vero ad Hermocratem ipsum legatum Syracusanorum attinet, quamquam demonstraverat, eum in rebus tam secundis esse, ut sibi ipsi prospicere non cogeretur, sed potius alios invadere posset, tamen ad concedendum, quatenus cum aequitate fieri liceret, paratissimum se praestitit. Quum deinde ceteros ut idem sua sponte facerent, neve manerent, donec ab hoste cogerentur,

admonuisset, dicendi finem fecit.[7]) Qua oratione animi audientium omnium vehementer commoti sunt, maxime eo quod Syracusanos, qui belli auctores fuissent, inclinatos ad placabilitatem se praestare videbant, eoque ducti sunt, ut belli finem facere decernerent. Quum etiam Athenienses a sociis suis de pacis conditionibus docti foedus approbavissent, pax inter Sicilienses ita composita est, ut quisque retineret, quae possideret, et Camarinaeis, qui iam antea[8]) cum Gelois in gratiam redierant, pro certa pecunia Syracusanis pendenda Morgantine[9]) concederetur.[10]) Quibus rebus per

---

[7]) Cfr. Thucyd. IV, 59—65.

De natura huius orationis cfr. Schol. ad Thucyd. IV, 59.

Quam praestantes sint sententiae, quas Hermocrates hac oratione attulit quibusque egregiam rerum civilium prudentiam testatus est, quis est, qui non videat? Bene enim medium se gerit, non a bello utique alienum, ubi sit opus, sed ab inutili, alia bellandi tempora, alia pacis docens. cfr. Poppo ad Thucyd. IV, 59.

At alia quaestio est, num Hermocrates iisdem verbis, quae Thucydides eum loquentem facit, usus sit? Nemo est, qui hoc putet. Neque vero addubitetur, quin sententiae primae de Hermocrate emanaverint, quae a Thucydide eodem ipso tempore nescio unde collectae post Atheniensium in Siciliam expeditionem commodissimis verbis exornatae sunt. cfr. Grote Geschichte Griechenlands“ p. 106 sq. Bd. IV.

Etiam Timaeus, qui, ut ex Polybio discimus, libro vicesimo primo concilium Gelae habitum copiosissime descripsit, orationem Hermocratis diligenter confectam composuit. In ea nonnullae quidem sententiae inveniuntur similes Thucydidis, sed longe maximam partem neque temporibus neque hominibus satis accomodatam inanem modo et prodigiosam verbositatem prae se ferre, idem Polybius docet. cfr. Polyb. XII, 25 k (ed. Bekker).

Diodorum hoc loco de Hermocrate eiusque oratione nihil commemorare, mirum est.

[8]) Cfr. p. 19.

[9]) Cfr. de Morgantine Raoul Rochette I, p. 374 et IV, p. 74. Steph. Byz. s. v. Μοργέντιον. Livius XXVI, 21. Cicero in Verr. III, 18. Poppo adnott. ad Thucyd. IV, 65.

[10]) Cfr. Thucyd. IV, 65. — Diodorus (cfr. XII, 54) qui hanc totam rem leviter tantum tetigit, ita ut omnia, quae modo diximus, reticeat,

actis quum classis Atheniensium domum redisset, (424) civitates Siciliae bona pace fruebantur. Hermocrates igitur oratione sua id quod sibi proposouerat, assecutus est. De eo usque ad illam Atheniensium in Siciliam expeditionem nihil relatum invenimus. Attamen virum tanto patriae amore tantaque prudentia praeditum multa paravisse, quae patriae imminentibus tempestatibus praesidio utilitatique essent, verisimile est; id quidem certum, eum in dies seriem rerum accurate observasse et praecipue ea, quae ab Atheniensibus dolosis sibique suspectis agerentur, acriter cognovisse. Quippe intelligimus e Thucydide (VI, 32), Hermocratem in concilio ad magnum belli apparatum et adventum Atheniensium, de quibus satis certior videtur esse factus, animos civium advertisse eosque docuisse, pericula eius expeditionis quanta essent. Sed ne flumen narrationis perturbetur, iam transeam ad enarrandas illius expeditionis Atheniensium causas, in qua Hermocratem, de quo inde ab illo tempore accuratius docti sumus, in rebus bellicis acrem et industrium fuisse videbimus.

Leontinos a Syracusanis in civitatem receptos omnesque municipes declaratos, urbem vero Leontinorum pro castello adhibitam esse commemorat. Comparatione autem Diodori et Thucydidis (cfr, V, 4) elucet, hanc rem nonnullis annis post accidisse, anno 422, alia rerum commutatione apud Leontinos facta. Quum enim Athenienses post pacem inter Sicilienses constitutam ex Sicilia profecti essent, Leontini multos undique ascitos civitate donassent, plebs in animo habebat, novam agrorum distributionem aggredi. Quod quum optimates animadvertissent, Syracusanis arcessitis, plebem urbe expulerunt, quorum alius alio discessit. Deinde ipsi inito cum Syracusanis foedere, urbe relicta et vastata Syracusas migrarunt, ubi in civium numerum sunt recepti — cfr. etiam Diod. XII, 83. E. Thucydide (V, 5) Locros ad pacem cum Atheniensibus factam, quam supra commemoravimus, se non applicasse apparet. Demum a. 422 a Phaeace quodam, quem Athenienses precibus Leontinorum commoti magis speculandi causa quam ut illis auxilium ferret, miserunt, hoc facere coacti sunt. Sed etiamtunc ad foedus non accessissent, nisi cum finitimis et coloniis suis Itonensibus et Melaeis bello obstricti fuissent. cfr. Thucyd. V, 4 sq.

Anno (416) in Sicilia inter Egestanos et Selinuntios de agro in finibus utrorumque sito rebusque uxoriis controversia exorta est. Quae quum Selinuntiorum pertinacia bona cum gratia componi nequiret, armis captis atrox proelium commissum est, quo Selinuntii victores non paucos Egestanorum occiderunt. Qua clade viribus horum tantopere deminutis, ut per se hosti resistere non possent, ab Agrigentinis et Carthaginiensibus, quorum auxilium per legatos imploraverant, repudiati, cum Leontinis iniquam Syracusanorum rationem indignantibus[11]) coniuncti ab Atheniensibus auxilium petiverunt.[12]) His autem, quamquam usque cum Lacedaemoniis bellum gerebant, quoniam cupiditate totius Siciliae sibi subiiciendae inflammati erant, Egestanos auxilium imploravisse haud ingratum accidit, ut iterum in Siciliae solo pedem ponere et tandem propositum peragere possent. Itaque et ab Egestanis ipsis et suis legatis, qui ad explorandas Egestae divitias ab illis in maius celebratas missi erant, turpiter decepti et simul timentes ne quando Syracusani cum Lacedaemoniis vires coniungerent, in concilio convocato classem sexaginta navium, cui Alcibiades, Nicias, Lamachus, tres spectatissimi imperatores cum potestate libera praeficerentur,

---

[11]) Cfr. supra.

[12]) Cfr. Diod. XII, 82 sq. Thucyd. VI, 6. — Mirum est, secundum Thucydidem Syracusanos in eo proelio auxilium tulisse Selinuntiis, secundum Diodorum Egestanos post proelium commissum adisse. Thucydidem potissimum sequens, cui in omnibus rebus maior fides tribuenda est, quam Diodoro, Syracusanos propter cognationem — sunt enim utrique gente Dorica — Seliuntios adiuvisse probo. Itaque hoc loco vix concludendum est, Egestanos post proelium statim societatem Syracusanorum, qui modo a parte hostium steterant, petivisse, ut Diodorus refert. Nihil autem impedio, quominus Egestanos primum Agrigentinos, deinde Carthaginienses adisse, priusquam confugerint ad Athenienses, censeamus, quamquam Thucydides etiam de hac re nihil dicit.

in Siciliam mittere decreverunt.[13]) Neque vero defuerunt, qui decretum dissuaderent. In quibus Nicias, qui vir propter virtutem suam et cautionem magni aestimabatur, cives diversis admonitionibus ab eo consilio revocare contendit. Sed tantum abfuit, ut Athenienses eius viri consilio et auctoritate de sententia deducti propositum deponerent, ut Alcibiade viro nobilissimo et disertissimo neque minus imperatoria virtute quam genere et divitiis illustri adhortante ad suscipiendam expeditionem incitati tot naves, quot ad id tempus a nulla civitate Graeca instructae erant, e portu solverent et Aeginam praetervecti cursum dirigerent ad Corcyram, ubi socios collectos exciperent.

Quam periculosa ea expeditio Syracusanis fuerit, quis est, qui ignoret, si non modo classis magnitudinem pecuniaeque copiam, sed praecipue animum conspectu huius splendidi apparatus auctum singulorum considerat; quid? quod omnes studio expeditionis alius alia causa capti erant: senes, quia se aut Siciliam expugnaturos aut certe ob magnitudinem exercitus nullam cladem accepturos esse sperabant; iuvenes ob desiderium spectandi terras alienas et novas res; vulgus denique et miles, quia occasionem pecuniae parandae videbant et opes Athenarum tantopere auctum iri putabant, ut inde perpetua stipendia accipere possent. Adiice quod copiae maximam partem e fortissimis et exquisitis militibus constabant, neque vero mercenariis, quibus non multum eniti poterant. Re vera igitur erat, quod Syracusani providerent et bonis consiliis uterentur.[14])

At Syracusis, quamquam undique de expeditione Atheniensium nuntii afferebantur, variae ac diversae sententiae erant; hinc fiducia, hinc metus. Alii rumores vanos putabant; alii parva tantum subsidia Egestanis mitti; quotusquisque

---

[13]) Cfr. Thucyd· IV, 6—9.

[14]) Cfr. Thucyd. VI, 24 · 32. Diod. XIII, 2. De magnitudine totius apparatus cfr. Thucyd. VI, 43. Diod. l. c.

erat, qui consilia Atheniensium vel imminens periculum penitus perspiceret? Hermocrates unus in concione coacta res sibi satis cognitas civibus suis exposuit. Postquam attulit certa indicia Athenienses maxima cum classe appropinquare, iis persuasit, illos specie quidem advenire Egestanis auxilium ferendi et Leontinos in sedes reducendi, re vera nihil machinari, nisi ut totam Siciliam sibi subiicerent; qua expugnata parvo negotio cetera perdomituros sperare. Deinde non gravissime modo eos praemonuit, ne contemnendo periculum ipsi inermes deprehenderentur, sed oravit etiam, ne audacia magnisque opibus Atheniensium terrerentur, ut e contrario omni eventus timore omisso victoriam exploratam haberent. Nequaquam autem iis licere domi sedere desides, sed iam de bello parando acriter esse cogitandum. Itaque legatos circa civitates Siciliae mitterent, qui alios in fide confirmarent, contenderent, ut cum aliis amicitiam societatemque facerent; incolas autem ceterarum Siciliae regionum per legatos docerent, hoc periculum omnibus esse commune. Quin etiam Carthaginem, quae urbs auri argentique vim magnam possideret, deinde Lacedaemonem et Corinthum legatos mitti ad auxilium implorandum inutile non esse. Maximam autem utilitatem perceptum iri, si tantum abesset, ut hostem exspectarent, ut classe usque ad Tarentum et Iapygium promontorium ei occurrerent. Hac enim re fore ut Athenienses stupefacti non modo celeriter a progrediendo, quantum fieri posset, impedirentur, sed etiam inexspectata re perculsi a tota cogerentur expeditione desistere. Quod eo magis futurum esse, quum peritissimus imperatorum Atheniensium invitus exisset, ita ut gauderet, si Syracusani apparatu bellico ipsi causam expeditionis ad irritum redigendae subiicerent. Immo vero etiam Athenienses spe captos fore ut Syracusanos improvisos necopinantes opprimerent, conspectu classis et subito impetu de hac spe deiectos paullulum animos esse demissuros. Quodsi id consilium minus placeret, Hermocrates postremo cives suos oravit et obtestatus est, ut cetera quidem, quae ad bellum

opus essent, sine ulla mora et cunctatione praepararent. Deinde Athenienses adventuros ac paene iam adesse iterum confirmavit.[15]) Quo gravioribus causis haec Hermocratis oratio subnixa erat, eo minus valuit, nam longe maxima pars iis fidem non tribuit, quin etiam quidam penitus pro ludibrio habentes rem in risum verterunt. Tantum abfuit, ut omnia diligenter circumspicerentur, ut ii rumores ambitiones optimatum, qui hac occasione rerum potiri et populi imperium evertere vellent, ducerentur. Maxime autem Athenagoras, princeps plebis et tunc multitudini acceptissimus enixus est et contendit, ut verba Hermocratis suspecta redderet, dictitans neque omnino credi posse, Athenienses expeditionem paravisse, neque, sin parata esset, Syracusanos peti; dispersos autem rumores a paucis inventos esse, qui novarum rerum cupidi populi imperium odissent et evertere studerent.[16]) Ut tandem contentiones exortae componerentur, unus ex praetoribus surrexit et verba fieri vetuit. Tum Hermocratem magis quam Athenagoram secutus melius esse ait, et singulos et universos ad ea, quae nuntiarentur, conversos omnia parare et instruere, ut hosti instanti quam iustissime resisti posset, quum belli apparatus cautionis causa factus, etiamsi nuntii essent falsi, nihil incommodi ferret.[17])

Sed quam acute arguteque Hermocrates de futuris coniecerit, ex iis, quae mox acciderunt, satis cognitum est. Nam paullo post Athenienses classe ad Corcyram coniuncta cursuque directo ad Rhegium in conspectum venerunt. Quo appulsi castris positis duces de bello in Sicilia gerendo inter se communicaverunt. Tandem Syracusani omni dubitatione certis nuntiis, qui praecipue ab exploratoribus afferebantur, sublata, maximo cum studio bellum praeparabant.[18]) At etiam status

---

[15]) Cfr. Thucyd. VI, 33—35.

[16]) De oratione Athenagorae cfr. Thucyd. VI, 36—41.

[17]) Cfr. Thucyd. VI, 41.

[18]) Cfr. Thucyd. VI, 42 46.

Atheniensium rerum praeter opinionem difficilis erat. Nam a plurimis urbibus haud benigniter [19]) excepti et insuper tribus navibus praemissis docti sunt, sese ab Egestanis fraude esse deceptos, quia apud eos triginta solum talenta essent. [20]) Quo factum est, ut, quum duces animis iam demissis, quid in praesenti rerum statu opus facto esset, deliberavissent, consilium Alcibiadis antea socios in Sicilia colligendi secuti Rhegio ad oram Siciliae orientalem navigarent. Postquam Naxios ad se perduxerunt, Catana vi et dolo occupata [21]) ad fines Syracusarum prope accesserunt. Quo facto Athenienses urbis et portuum situm omnemque circa regionem contemplati Catanam redierunt, ubi universa classe a Rhegio excita et castris positis crebris in fines Syracusanorum excursionibus tempus triverunt. Deinde post fugam Alcibiadis, qui de violatis Mercurii simulacris et coniuratione contra rempublicam accusatus erat, [23]) Nicias et Lamachus toto exercitu in duas partes diviso cum omnibus copiis Selinuntem et Egestam versus navigarunt. Hyccara, oppidum maritimum, e cuius spoliis centum et viginti talenta confecta sunt, est expugnata. Hyblam quoque Nicias vi capere tentavit, sed impetus ad irritum redactus est. [24]) His omnibus rebus et aliis id genus animus Syracusanorum in dies augebatur, ita ut, quum Athenienses subsequenti hieme (414) Syracusas invadere pararent, non modo non terrerentur, sed etiam duces rogarent, quandoquidem hostes cunctarentur contra se adventare, ut Catanam adversus illos se ducerent. Itaque quum res eo pervenisset, ut Syracusani hostes contemnerent

---

[19]) Cfr. Thucyd. VI, 44, 50.

[20]) Cfr. Thucyd. VI, 46. (cfr. etiam VI, 8) Diod. XIII, 4.

[21]) Diod. l. c.

[22]) Cfr. Thucyd. VI, 46 - 52.

[23]) Cfr. Thucyd. VI, 53, 61. Diod. XIII, 5.

[24]) Cfr. Thucyd. VI, 62. Diod. XIII, 6.

ludibrioque laederent,[25]) neque proelium in aperto recusarent, Athenienses morae pertaesi arderent cupidine dimicandi, prope Syracusas ad Olympieum, delubrum Jovis, atrox proelium editum est. Syracusani, postquam diu aequo Marte pugnatum est, in fugam conversi et ducentis circiter sexaginta amissis[26]) in urbem se recipere coacti sunt.[27])

Haud facile discerneres, utra pars plus animi vel virtutis hoc in proelio ostenderit — tanta cum fortitudine tantaque cum vi utrimque pugnatum est — sed hinc ordo et disciplina, illinc licentia atque ordinum perturbatio, hinc veteres atque exercitatae copiae, illinc tirones atque repentino rumore conscripti, hinc duces artibus bellicis imbuti atque omnia uno consilio regentes, illinc praetores rei militaris imperiti neque prompti in administrandis exercitus motibus: quis non praevidisset, fore ut Syracusani, quamquam equitibus praevalebant, militia rudes ac tirones artibus hostium primo congressu occumberent? Itaque, etiamsi ceteris, non tamen divino quasi ingenio Hermocratis res omnino contra opinionem evenerant.

Clade accepta Hermocrates praesentia ac tristia in sapientiam vertenda esse ratus praeclara oratione animos civium consternatos erexit atque, quae peccata essent, admonuit.

Proelium amissum ipsis, ait, neque quidquam contumeliae afferre, quippe quum primum cum peritissimis rerum bellicarum atque victoribus in tot tantisque proeliis conflixissent, neque cladem tam gravem esse, ut restitui non posset. Immo vero, quamquam pedite tirone inferiores essent, tamen equite praevalente superiores discessuros fuisse, nisi multitudine praetorum — erant enim quindecim — et licentia singulorum inde orta ordines perturbati essent. Ita-

---

25) Cfr. Thucyd. VI, 63.

26) Diodorus quadringentos tradit.

27) Cfr. Thucyd. VI, 64, 71. — Diod. XIII, 6.

que ne iis, quae accidissent, conterriti, neve de futuris anxii essent; nihil curae in praesens ipsis esse oportere, nisi ut meditarentur remedia, quibus malo mederi possent. Quam ob rem, quae ipsi viderentur, acciperent. Numerum praetorum minuendum esse, ut omnia unius aut paucorum consilio ac nutu, ut in rebus periculosis gravibusque fieri oporteret, administrarentur. Tres igitur praetores eosque peritissimos summa potestate eligendos esse,[28]) qui per hiemem iuvenes in armis cxercerent atque disciplina militari assuefacerent. Quae si facta essent, quum ad fortitudinem, quippe qua non carerent, exercitatio, ratio ordoque accessissent, fore ut hostibus non modo pares, sed etiam iis superiores essent.[29]) Syracusani rebus adversis magis inclinati ad consilia Hermocratis omnia, quae suaserat, peragenda curaverunt. Statim pro quindecim imperatoribus tres modo eosque summa potestate elegerunt: ipsum Hermocratem et Heraclidem et Sicanum,[30]) qui militibus conscriptis legatos Corinthum et Lacedaemonem miserunt, ut cum his societatem facerent, Lacedaemoniosque orarent, ut bellum contra Athenienses administrarent maiore studio, ne subsidia exercitui, qui in Sicilia esset, mitti possent.[31]) Dum haec e longinquo praeparantur, etiam domi hac hieme multa ad defendendam urbem perfecta sunt. Atque primum quidem

---

[28]) Cfr. Thucyd. VI, 73. init.

[29]) Cfr. Thucyd. VI, 72. — cfr. epist. Diod. Sic. Nro. LXIII, p. 664 ed. Wesseling.

[30]) Etiam apud Diodorum (XIII, 4) tres praetores creatos esse memoratum invenio, sed de tempore a Thucydide dissentit. Ille enim perhibet, una cum adventu Atheniensium ad fretum Siculum id factum esse. Idem auctor est, tres tantum duces proelio apud Olimpieum interfuisse. Secundum igitur hunc clades ibi accepta nequaquam multitudini ducum tribuenda est. Sed quum Diodorus brevitatem petens res non semel confuderit, potissimum sequor narrationem Thucydidis, cui quum in ceteris ob magnam curam ad perscrutandas res adhibitam, maiorem fidem tribuo, tum hac in re praecipue, quod illi tempori proximus et fere aequalis erat.

[31]) Thucyd. VI, 73. — Diod. XIII, 4.

quum moenia novis operibus munita ex priori ambitu in circuitum produxissent, ita ut Temenites, quod latus ad Epipolas spectabat, includeretur, castellum Megaram et alterum in Olympieo muniverunt. Deinde litora, quacunque ex parte exscensiones fieri poterant, aggeribus valloque praeclusa et prohibita sunt. Denique ubi compertum est, Athenienses ad Messanam expugnandam profectos esse,[32]) agris Catanensium vastatis tabernacula et castra Atheniensium incenderunt.[33]) Quibus rebus perfectis Syracusani quum Athenienses Camarinam legatos ad societatem auctore Lachete initam renovandam misisse audivissent, Hermocratem legationis principem, ut Camarinaeos a foedere hostium abduceret sibique adiungeret, eodem miserunt.[34]) Neque vero Hermocrates hac legatione indignum se praestitit. Concione enim Camarinaeorum convocata eximiam orationem habuit. Ac primum quidem docuit illos, ut antea cives suos,[35]) Athenienses in Siciliam venisse non eo consilio, ut Leontinos in pristinis sedibus collocarent, sed potius ut Sicilienses ex suis expellerent. Itaque vituperavit, quod tam periculosis hostibus, qui singulas urbes expugnando subacturi essent, coniunctis animis viribusque non resisteretur. Deinde Syracusas conservari permagni esse momenti exposuit, nam ubi primum expugnatae essent, fore ut omnes deinceps Siciliae urbes eandem calamitatem conquererentur et quidem Camarinaeos, quum finitimi essent, proximos a Syracusanis esse periclitaturos, quam ob rem ne ita segniter, quemadmodum facerent, ferrent auxilium. Quod autem ad foedus pristinum cum Atheniensibus ictum attineret, quod ad excusandum praetenderent, id ita non initum esse, ut amicos et hostes

---

[32]) Cfr. Thucyd. VI, 74.
[33]) Cfr. Thucyd. VI, 75.
[34]) Cfr. Thucyd. l. c.
[35]) Cfr. supra.

eosdem haberent, sed ut acceptas iniurias coniunctis viribus ulciscerentur; illatarum autem cautionem factam non esse. Itaque quoties Atheniensibus iniuriae depellendae essent, ab ipsis subsidia mitti fas esse, sin autem iidem aliis iniurias inferrent, si contra omne ius divinum atque humanum innocentes nihilque culpae conscios eosdemque consanguineos bello persequerentur, nefas esse, iniquos adiuvari. Quibus rebus expositis Hermocrates Camarinaeos, ut ad communem sanguinem et genus respicientes deliberarent, quid faciendum esset, acriter admonuit.[36]) Qua eximia oratione Camarinaei, quamquam Euphemus, Atheniensium legatus, ad dissuadendum processit verbaque Hermocratis refellebat,[37]) eo ducti sunt, ut inimicitiarum cum conterminis obliti magis in partes Syracusanorum inclinantes aliquot equites, quos habebant, iis auxilio miserint. Ceterum hoc modesto subsidio contenti, quia etiam ab Atheniensibus animos habebant non alienos, utrisque eadem responderunt: quum socii ipsorum inter se bellum gererent, neutris sese opem ferre aequum esse. Ita legati dimissi sunt.[38])

Utrique hieme omnia, quae ad bellum opus erant, praeparaverunt, maxime ut socios ad se perducerent contendentes, ut vere ineunte statim bellum redintegrarent. Et spes auxilii utrimque erat. Syracusanis a Lacedaemoniis Alcibiade auctore, qui post fugam vehementi odio adversus cives suos commotus illos stimulabat, copiae Gylippo duce, a Corinthiis duae triremes Pythe duce subsidio missae sunt. Atheniensibus Athenis, quo imperatores triremem ad pecunias equitesque petendos miserant, ducentis et quinquaginta equitibus, equestribus sagittariis triginta, talentis argenti trecentis subventum est.

Tum Nicias et Lamachus Syracusas petiverunt. Hermocrates de hac re certior factus, ne Athenienses Epipolas

---

[36]) Cfr. Thucyd. VI, 76—81.

[37]) Oratio Euphemi continetur Thucyd. VI, 82—88.

[38]) Cfr. Thucyd. VI, 88.

locum praeruptum et urbi imminentem occuparent, neve inde totam urbem munitionibus clauderent, aditus omnes praesidiis tueri decrevit, ut Atheniensibus, etiamsi acie superiores discessissent, urbs ad circumvallandum difficilis redderetur. Sed dum Hermocrates eiusque collegae in campo iuxta Anapum fluvium sito exercitum armaque lustrant, ut milites eligerent, qui Epipolis essent praesidio, copiae Atheniensium pedestres, postquam navales ad paeninsulam Thapsum constituerunt, Syracusanis nescientibus, noctu effuso cursu ad Epipolas contendentes eas per Euryelum ascenderunt. Ubi Syracusani id animadverterunt, quam celerrime Diomilus cum sexaginta in campo delectis, quibus praefectus erat, scandentes arcere conabatur. Qui quum propter longum spatium inter illum campum et Epipolas interiectum — viginti quinque stadia erant — nullo ordine effuse impetum fecissent, fusi et trecentis, in iis Diomilo, amissis in urbem se recipere coacti sunt.[39])

Tum Athenienses tropaeo posito et occisis per inducias redditis, quum postridie ad urbem ipsam copias deduxissent, ad Labdalum extra moenia Epipolarum situm castellum communiverunt, quod sibi receptaculo impedimentorum pecuniaeque militaris esset. Haud multo post quum Egesta trecenti equites, circiter centum a Siculis, Naxiis aliisque advenissent,[40]) praesidio in Labdalo collocato, Sycam[41]) petivere,

---

[39]) Cfr. Thucyd. VI, 93—98. Diod. XIII, 7.

[40]) Cfr. Thucyd. VI, 88, 98.

[41]) Moneo Συκή, etiamsi secundum emendatores Τύχη legitur, ne tertia illa urbis Syracusarum pars, quae, quod in ea Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha nominata est, animo concipiatur, nam hanc Athenienses non tam brevi tempore, non διὰ τάχους, ut Thucydides dicit, cingere potuissent, sed potius parvus locus Συκή, undecunque ei nomen inditum est (fortasse ab ubertate ficuum) prope tertiam urbis partem Tycham situs, ex quo loco Athenienses ad septemtriones et meridiem versus usque ad mare murum exstruere in animo habuisse videntur. cfr. Steph. Byz. s. v. Συκαί — Goeller. ad Thucyd. VI, 98.

quem locum castris positis haud cunctanter munitionibus cinxerunt.[42]) Qua re Syracusani conterriti, ut aedificationem impedirent, eruptione facta celeritate quam maxima proelium committere decreverunt. Sed quum Hermocrates eiusque collegae aciem suam divulsam esse neque facile in ordinem redigi posse intellexissent, copias in urbem reduxerunt, exceptis equitibus, qui, ut Athenienses impedirent, ne lapides conferrent neve opus perficerent, relicti ab una Atheniensium gravis armaturae cohorte partim in fugam versi, partim occisi sunt. Quo facto dum Athenienses postridie murum ad septemtriones vergentem continuant, auctore Hermocrate Syracusani proeliis supersedendi et murum muro hostium obiiciendi consilium ceperunt. Quo quidem consilio nihil salubrius. Etenim quis non videt, quanto murus ab Atheniensibus exstructus Syracusanis damno fieri potuisset, quum ipsi eo interclusi essent, Athenienses apertum campum obtinuissent. Quippe Athenienses ut murum transversum aedificandum impedirent, operibus ipsorum relictis omnes suas copias contra hostem convertere cogebantur.

Quae quum ita essent, Syracusani Hermocrate adhortante de muri utilitate persuasum habentes murum ab urbe sua transversum, in quo oleis ex luco caesis turres exstruxerunt ligneas, infra munitionem Atheniensium duxerunt. Sed opus Syracusanorum ipsorum negligentia irritum factum est. Nam Athenienses quum parum praesidii ad opus custodiendum relictum esse animadvertissent, trecentos delectos ad murum Syracusanorum occupandum miserunt, et exercitu bipartito urbem petierunt, ut, si eruptio ad opus tuendum fieret, erumpentes exciperent. Res prospere cessit. Trecenti praesidio fugato murum occupant et diruunt vallosque evellunt. Neque tamen Syracusanos certe ab Hermocrate iterum accensos piguit, quum Athenienses murum ad portum magnum

---

[42]) Cfr. Thucyd. VI, 99.

versus per locum Epipolarum praeruptum ducere incepissent, alterum murum ab urbis moenibus per campum uliginosum inter Epipolas situm et magnum portum usque ad Anapum fluvium aedificare. Etiam hic murus ab Atheniensibus captus est. Proelio hac occasione edito Syracusani victi Lamachum interfectum secum portantes in urbem sese receperunt, spe iam deiecta, se opibus, quas tum haberent, impedituros esse, quominus murus ad mare usque conficeretur. Res Syracusanorum pessimae esse videbantur. Nam undique duplici muro inclusis hostis instabat, neque quidquam iam spei erat relictum, auxilia a Lacedaemoniis exspectata tempore adventura esse. At Atheniensibus omnia erant prospera. Commeatu ac re frumentaria sublevati sunt ex Italia; multi Siculorum, qua ad id tempus illi usi erant fortuna allecti, vires suas cum eorum copiis coniunxerunt; ab iis, qui oram maris Tyrrheni incolunt, naves biremes tres missae sunt.[43])

Quae quum ita essent, Syracusani ad mitiores animos redacti et inter se de pace collocuti cum Nicia, qui solus Lamacho occiso dux Atheniensium reliquus erat, de pacis conditionibus egerunt; nihil tamen transactum est. Et quum propter praesentia mala, ut saepe fit, mutua suspicio exorta esset, factum est, ut etiam imperatoribus, quasi aut infelicitate eorum aut proditione haec omnia damna accepta essent, imperium abrogaretur et in eorum locum alii: Heraclides et Eucles et Tellias sufficerentur.[44])

Licet Syracusani Hermocrati imperium abrogaverint, is civibus suis indulgens neque ob remotionem ab imperio prorsus succensens Gylippum, Spartanorum imperatorem, qui cum Pythe Corinthiorum duce modo auxilio venerat cuique summa totius belli erat delata, consilio usque adiuvit. Gylippus enim vix ab Epizephyriis Locris Syracusas undique nondum clausas esse operibus, quod usque ad id tempus

---

[43]) Cfr. Thucyd. VI, 98—104.
[44]) Cfr. Thucyd. VI, 103.

crediderat, certior factus est, quum copiis Himerensium, Geloorum Selinuntiorum, Sicanorumque contractis[45]) Syracusas quam celerrime petivit. Cuius adventu Syracusanis tanta alacritas tantumque studium pugnandi iniecta sunt, ut consilium paciscendi omiserint. Athenienses autem adventu eius, quem antea contempserant, consternati sunt. Adeo enim vires Syracusanorum sunt auctae, ut Niciae visum sit animum a pedestri bello avertere ad maritimum. Quin etiam, praesertim quum Syracusanos quoque classem parare videret, nuntium cum epistola Athenas misit, admonitum, ut aut ipse primo quoque tempore revocaretur, aut copiae supplemento haud exiguo complerentur.[46]) Quibus literis commoti Athenienses eadem hieme (413) Eurymedontem cum decem navibus et centum viginti[47]) argenti talentis, item subsequenti aestate Demosthenem cum sexaginta Atheniensium et quinque Chiorum navibus in Siciliam miserunt.[48]) Nihilominus Gylippus deterritus non est; contra Syracusanos, copiis in Sicilia circa conquisitis, commovere contendit, ut classe navium quam plurimarum exstructa pugnae navalis periculum fieret. Hermocrates, ubi quid strenue agendum erat, semper promptus, una cum Gylippo exhortatus est, ne dubitarent navibus Athenienses aggredi, sed potius cum audacia provocarent.

---

[45]) Diodorus (XIII, 7) memorat, tria milia peditum et ducentos equites fuisse.

[46]) Cfr. Thucyd. VII, 1–16. Diod. XIII, 7 sq.

[47]) Diodorus (XIII, 8) centum quadraginta talenta memorat. In Graeco Thucydidis textu εἴκοσι τάλαντα legitur. Sed quum in uno manuscripto Parisio H apud Gailum εἴκοσι ἑκατὸν τάλαντα commemorata inveniantur, quam lectionem Gailus non immerito in textum recepit, et summa tam parva transmissa classis male affecta esset, ut Grotius IV, p. 216 recte dicit, hunc numerum libentissime accipiam, quippe quo ab auctoritate Diodori non multum absimus; sed cfr. praeterea Goeller ad Thucyd. lib. VII, c. 16.

[48]) Cfr. Thucyd. VII, 17. Diod. XIII, 8.

Quod ipsis magnus rei navalis usus non esset, id nihil valere; etenim Athenienses neque a maioribus rei maritimae peritiam accepisse, neque eam habuisse perpetuam, sed a Medis coactos rebus nauticis operam navare coepisse, quum antea magis quam Syracusani mediterranei fuissent. Neque semper in rebus gerendis prosperum eventum positum esse tam in maioribus copiis, quam in audacia ac temeritate invadendi, quippe qua Athenienses usi alios populos ita deterruissent, ut brevissimo tempore imperium longe lateque propagaverint. Atque profecto ipsos quum necopinato in re navali resistere auderent, Athenienses consternaturos esse. Commodum autem, quod ex ea re nasceretur, multo maius futurum esse, quam iacturam, quae illorum peritia rei navalis ipsis minus exercitatis afferri posset. Quibus et Gylippi et Hermocratis adhortationibus Syracusani ad navale bellum adeo accensi sunt, ut statim naves quam plurimas exornarent.[49]) At primum proelium navale, quod classe octoginta navium parata in magno portu commissum est, secus cecidit, ita ut undecim navium demersarum manus interfecta sit, exceptis iis, qui in tribus navibus erant, quos Athenienses ceperunt vivos; ceterae naves usque ad parvam insulam ante Plemmyrium sitam retrusae sunt.[50]) Subsequens post hoc proelium navale tempus apparatibus proeliisque levibus utrimque consumptum est, quum Athenienses, ubi classem Athenis duce

---

49) Cfr. Thucyd. VII, 21.

50) Cfr. Thucyd. VII, 22 sq. Diod. XIII, 9. — Diodorus dicit ἕως τῆς Νήσου, id est ad Insulam sive Ortygiam, quam etiam Wassius (ad Thucyd. VII, 23) τὸ νησίδιον intelligit, quae est una ex quinque urbis partibus. Quod quidem mihi videtur falsum esse, quia Thucydides certe etiam hoc loco non τὸ νησίδιον, id est „parvulam insulam“ scripsisset, sed potius, ut Diodorus Νῆσον, quo nomine alibi utitur cfr. VI, 3 ἐκ τῆς Νήσου. Ceterum fuit, ut opinor, haec urbis pars non tam parva, ut νησίδιον vocari posset. Utique igitur hoc loco parva insula intelligitur, ut Goellerus interpretatur, quae ad ostium magni portus sita erat.

Demosthene succedere et iamiam intra paucos dies adfuturam esse cognoverunt, nihil amplius experiri decrevissent, dum illa auxilia praesto essent.[51] Contra Syracusani et copiis auctis[52] et navibus Aristone, qui Corinthios gubernabat, suadente in melius refectis,[53] quamquam Âtheniensibus impellentibus etiam a Siculis cladem acceperant,[54] id moliti sunt, ut de summa rerum armis disceptarent, priusquam Demosthenes cum novo exercitu advenisset.[55] Quo factum est, ut aestate anni 413 antea identidem conatibus terra marique Syracusanorum adversus Athenienses frustra captis in portu magno proelium atrox committeretur, quo Syracusani tam egregiam victoriam reportarunt, ut Atheniensibus in fugam coniectis quum septem naves demersissent magnumque numerum lacerassent, multitudinem militum partim caperent, partim occiderent.[56] Etsi nullus scriptor memorat, Hermocratem ei pugnae interfuisse, nihil tamen obstat, quominus id putemus. Eoque magis adducimur, ut idem approbemus, quum e Diodoro eluceat, eum, impetu non ita multo postea quam Eurymedon[57] et Demosthenes magno cnm exercitu in Siciliam venerunt, noctu in Epipolas facto cum delecta iuvenum manu tam promptum auxilium tulisse, ut eius praecipue vigilantia Athenienses iam victores nullo ordine longius progressi alii alio disiecti et in fugam conversi sint. Tum Syracusani cum auxiliariis fusos fugatosque insecuti duo milia et quingentos militum trucidaverunt et haud exigua fugien-

---

[51]) Cfr. Thucyd. VII, 24 sq. Diod. XIII, 10 init.

[52]) Thucydides dicit, omnes propemodum Sicilienses praeter Agrigentinos, qui se medios gessissent, Syracusanis auxilium tulisse adversus Athenienses cfr. VII, 33.

[53]) Diod. XIII, 10. Thucyd. VII, 36.

[54]) Cfr. Thucyd. VII, 32.

[55]) Cfr. Diod. l. c. Thucyd. VII, 36.

[56]) Cfr. Thucyd. VII, 37—42. Diod. l. c.

[57]) Eurymedon ex Sicilia reversus, quo hieme ante missus erat, in Acarnania Demostheni occurrit. cfr. Thucyd. VII, 31.

tium parte vulnerata multis armis potiti sunt.[58]) Qua clade accepta animi Atheniensium adeo depressi erant, ut domum redire quam diutius manere et iterum armis disceptare mallent. Praecipuus eius sententiae erat auctor Demosthenes. Contra Nicias et pecuniarum inopia Syracusanorum et nuntiis, quos in dies nonnulli Syracusani Atheniensibus faventes iisque urbem traditurі ei afferebant, commotus omnibus viribus obnixus est.[59])

Si de illa factione Atheniensibus faventi quaeremus, certe non errabimus, quum sententiam Grotii, viri doctissimi, sequemur (cfr. IV, p. 240), qui censet, eam non fuisse gravem. Thucydides enim dicit (cfr. VII, 55) Syracusanis eandem quam Atheniensibus formam reipublicae fuisse. Quapropter probabile non est, Syracusanos cupidine rerum novarum corripi potuisse. Quam factionem causam optimatium egisse, eam opinionem res ipsae repudiant. Quaenam fortuna et conditio optimatium futura fuisset, si Syracusae sub imperium ditionemque popularis civitatis et infestae venissent? E Diodoro (XIII, 18) concludere possumus, illam factionem, maximam quidem partem, e Leontinis constitisse, qui, propter praeterita irati, e patria se eiectos et numero civium Syracusanorum insertos esse oblivisci non possent. — Ii ipsi Leontini, ut opinor, fuerunt, qui magna servorum manu collecta Sosistrato duce Syracusis seditionem movebant, de qua Polyaenus I, 43, 1 loquitur. Quae quum in hoc tempus cadere mihi videatur et dolum Hermocratis contineat, hoc loco accuratius exponam.

Sine ulla dubitatione illi Leontini in animo habebant, Atheniensibus, quibus semper faverant, tum quidem, quum redire decreverant, tumultu concitando, quippe quo exstinguendo Syracusanis negotium facesseretur, occasionem op-

---

[59]) Cfr. Thucyd. VII, 46—50. Diod. XIII, 12. Dodw. ann. Thucyd. p. 206. Orosius II, 14. Justin. IV, 5.

[58]) Cfr. Thucyd. VII, 42—45. Diod. XIII, 11. Plut. Nic. c. 21, qui duo milia interfecta memorat.

portunam praebere ad fortunam restituendam. Sed Hermocrates id periculum dolo sustulit. Ad ducem seditiosorum Sosistratum legatum misit Daimachum, unum ex praefectis equitum, quocum intercedebat illi usus et amicitia, nuntiatum, ducibus Syracusanorum fortitudinem Sosistrati admirantibus placuisse, ut omnes liberos dimitterent, omnibusque arma et aequalem commeatum tribuerent. Ipse vero Sosistratus, quem in ducum consortium assumpturi essent, veniret, ut cum ipsis de re communi consilium caperet. Tantum abfuit, ut Sosistratus amicitiae Daimachi difideret, ut cum viginti delectis ad illos veniret. Sed hi statim comprehensi et in vincula coniecti sunt. Ceteros Hermocrates cum sexcentis armatis aggressus est, captis per suam fidem iuravit, nihil ipsis periculi futurum, si ad suum quisque dominum rediret. Exceptis trecentis, qui ad Athenienses transfugerunt, omnes redierunt.

Ex iis, quae attuli, satis perspicuum esse mihi videtur, factionem quamvis infirmam Syracusis fuisse, Leontinis cum servorum manu contra incolas conspirantibus; ex ea vero re, quod opera Hermocratis oppressi non pauci ad Athenienses confugerunt, patere puto, eosdem illos fuisse, quorum proditione Nicias nitebatur. Sed haec hactenus.

Tum demum, quum duces Atheniensium etiam alias copias Syracusanis accessisse viderant, quas Gylippus in Sicilia collegerat, reditum parabant. Sed quum omnia iam essent parata ipsique iam discessuri, luna defecit. Qua re tres dies,[60]) quot imperiti vaticinandi vates praeceperant,[61]) retenti sunt. Quo comperto Syracusani sine ulla cunctatione tempore

---

[60]) Secundum Thucydidem ter novem dies — cfr. praecipue Dodw. ann. Thucyd. p. 206 sqq.

Proximi a solis et lunae laboribus dies tres a Graecis pro atris et infaustis putabantur cfr. Wessel. ad Diod. XIII, 12.

[61]) Stilbides, clarissimus ille hariolus, Niciae amicissimus, paullo ante decesserat. cfr. Plut. Nic. c. 23. Schol. ad Aristoph. pac. v. 1031.

opportuno impetum in munitiones Atheniensium fecerunt atroxque proelium commissum est, ex quo Syracusani superiores discesserunt, ita ut Eurymedonte Atheniensium duce interfecto, decem et octo triremibus captis et duobus milibus militum occisis omnes in fugam verterint.[62]) Aestate eiusdem anni (413) postremum et atrocissimum in magno portu editum est proelium, potissimum memoria dignum, quod Athenienses ita devicti sunt, ut navibus iam diffisi terrestri itinere redire constituerint.[63])

Hermocratem quoque ei pugnae interfuisse, vix est, quod moneam. E narratione Frontini II, 9, 6, quae ad eam pugnam navalem referenda est, elucere mihi videtur, Hermocratem etiam magnam virtutem ostendisse. Hermocrates enim Syracusanus, ut Frontini verbis utar, superatis acie Carthaginiensibus, veritus, ne captivi, quorum ingentem manum in potestatem redegerat, parum diligenter custodirentur, quod eventus dimicationis in epulas, et securitatem compellere victores poterat, finxit, proxima nocte equitatum hostilem venturum. Qua expectatione adsecutus est, ut solito adtentius vigiliae agerentur.[64])

---

[62]) Cfr. Thucyd. VII, 50—55. Diod. XIII, 12 sq. Dodw. p. 206 sqq.

[63]) Cfr. Thucyd. VII, 71 sq. Diod. XIII, 14—19. Dodw. p. 208. Diodorus memorat, navium Atheniensium sexaginta immersas esse, octo Syracusanorum penitus corruptas, sedecim convulsas esse et attritas. Thucydides (VII, 72) in medio relinquit, quot homines et naves utrimque amissi sint.

[64]) At Frontinus dicit: „superatis Carthaginiensibus"! Sine ulla dubitatione, quum MSS constanter „Carthaginiensibus" retineant, ipsius auctoris est error, qui re permutata, quam Hermocrates cum Carthaginiensibus postea gessit — cfr. Diod. XIII, 63, irrepsisse videtur. Errores huiusmodi in Frontino reperiri, locus desperatus II, 9, 7 testis est (cfr. infra.) Omnia quidem reliqua, quae a Frontino hoc loco dicta sunt, cum ea pugna omnino congruunt; praecipue autem verba: „quod eventus dimicationis in epulas et securitatem victores compellere poterat," quae testimoniis aliorum scriptorum satis confirmantur. cfr. Thucyd. VII, 73. Plut. Nic. c. 26. Polyaen. strat. I, 43, β.

Sed quae Hermocrates ante initum bellum ad id praeparandum fecit quaeque bello ingruente praeclara gessit, minora sunt iis, quibus idem vir bello confecto hostes ad internecionem perduxit. Iam satis cognito, Athenienses noctu abituros, Hermocrates male eventurum ratus, si tantus exercitus pedestri itinere rediret et aliquo Siciliae loco subsideret, unde bellum renovaretur, consilii auctor exstitit Syracusanis, ut copiis universis noctu urbe eductis et vias obstruerent, et omnes locorum angustias praeoccuparent. Sed Gylippus et Syracusani desperabant, quum et ipsi magnam militum partem vulneratam omniumque corpora proelio lassa et defatigata viderent, et milites ingenti victoriae reportatae gaudio et diei festi causa[65]) sacrificantes et inebriatos vino quieti se dedisse animadverterent, fore ut copiae eo adduci possent, ut armis captis contra hostem proficiscerentur. Itaque Hermocrates quum id quod sibi proposuerat, ante posterum mane perfici non posse intelligeret, ne Athenienses nullo impediente difficillima quaeque loca noctu transirent veritus, arte usus est, ut iter hostium retardaret. Primo enim vespere nonnullos sodalium cum equitibus ad Atheniensium castra misit, ut simulantes, se ab iis, qui antea semper cum Nicia clam egissent, missos esse, eum monerent, ne ea nocte copias abduceret, quod Syracusani insidiis dispositis vias angustiasque transeundas obstruxissent.[66]) Itaque Athenienses eos a Leontinis optima fide missos esse rati neque ullam subesse fraudem suspicantes, conturbati atque conterriti duas noctes et unum diem eodem loco reman-

---

[65]) Idem dies apud Syracusanos dies festus erat Herculis cfr. Thucyd. VII, 73. Dodw. a. Th. p. 208.

[66]) Cfr. Thucyd. VII, 73. Diod. XIII, 18. Plut. Nic. c. 26. Polyaen. strat. I, 43, β. Frontin. II, 9, 7.

Quod ad rem ipsam vel dolum attinet, scriptores inter se consentiunt. Polyaenus et Frontinus ita discrepant, ut perfugam pro socialibus Hermocratis ad castra Atheniensium missum esse dicant

serunt. Ubi autem illuxit, Gylippus et Hermocrates cum peditibus egressi praesidiis locis ad excipiendum exercitum opportunis dispositis vias per eam regionem, qua verisimile erat Athenienses iter facturos, praeoccupaverunt rivorumque et fluviorum transitus, ut eos itinere intercluderent, obstruxerunt.[67]) Simul nautici cum classe profecti, naves Atheniensium relictas, quas quinquaginta fuisse Diodorus refert, aliquot concrematis funibus alligatas ad urbem pertraxerunt.[68])

Quo dolo Hermocratis Themistoclis in Xerxem simillimo magnus ille Atheniensium exercitus, cuius robora non infra numerum quadraginta milium fuisse Thucydides dicit (VII, 75), partim concisus partim captus est cum ducibus Demosthene et Nicia, quorum alter cum copiis intra locum muro circumdatum et multas oleas habentem, inter Cacyparim et Erineum flumen situm, qui a Polyzelo Gelonis tyranni fratre denominatus erat, alter postridie ad flumen Asinarum in manus Syracusanorum incidit.[69]) Qua hostium internecione bellum in Sicilia confectum erat, quod, quamvis initio Syracusanis periculosum et damnosum esse videretur, tamen prospere et egregie iis evenit. Quantum Hermocratis et prudentia et virtus et dolus ad res bene gerendas contulerit, ex iis, quae attulimus, satis perspicuum esse puto. Quantos igitur honores, quantas laudes cives ei debebant! At quam exigua gratia ab ingratis relata sit, infra videbimus. Sed redeamus ad ea, quae bellum confectum secuta sunt.

Postridie eius diei concione totius populi sociorumque coacta quaestio proposita est, quid de captivis atque imprimis de duobus imperatoribus constituendum esset. Atque

---

67) Narratio Frontini de hac re (II, 9, 7) ita confusa est, ut non immerito „locus desperatus“ vocetur eiusque hoc loco ratio haberi non possit.

68) Cfr. Thucyd. VII, 74. Diod. XIII, 18 sq. Dodw p. 208. Plut. Nic. c. 26. Polyaen. I, 43 β.

69) Cfr. Thucyd. VII, 75— 86. Diod. XIII, 19. Dodw. p. 208 sq.

primum quidem Diocles, inter populi ductores clarissimus, sententiam tulit. Diem, censuit, quo Nicias captus esset, celebrarent, eodem sacrificarent, ex omnibus molestiis et laboribus conquiescerent, eumque diem festum a flumine Asinaro „Asinaria" denominarent. [70]) Quod ad captivos attineret, servos ceterosque Atheniensium socios venderent, ipsos autem in lapicidinas detruderent, ducibus exceptis, quos verberibus mulctatos afficerent capitali supplicio. Hermocrati quum ad dissuadendam hanc sententiam crudelem in medium progressus dixisset, pulchriorem victoria esse in victos clementiam, adeo a furenti vulgo obstrepebatur, ut oratione prohiberetur. Postquam Nicolaus senex quidam in eandem sententiam disseruit, et populum ad misericordiam convertit, Gylippus, Lacedaemoniorum dux, sententiam Dioclis ita defendit, ut uterque imperator sociique necati Athenienses in latomias detrusi sint. [71])

Sicut vero in concilio Syracusanorum quid de captivis, praecipue de ducibus constituendum esset, diversae sententiae exstiterunt, ita etiam scriptores, qui de hac re tradiderunt, minime consentiunt. Itaque non alienum mihi videtur, quid quisque narraverit, proferre et cuius sententia sequenda sit, inquirere:

Thucydides dicit, Niciam et Demosthenem Gylippo invito esse necatos. — cfr. VII, 86.

Plutarchus Timaeum sequens refert, Niciam et Demosthenem ab Hermocrate de plebiscito certiores factos sibi ipsos mortem conscivisse. — cfr. Nic. c. 28.

Diodorus memorat, summos exercitus duces extemplo, postquam Gylippus orationem habuerit, esse occisos. — cfr. XIII, 33.

---

[70]) Dies ille fuit vicesimus septimus mensis Carnei, quem Athenienses μεταγειτνιών vocabant, cfr. Plut. Nic. c. 28.

[71]) Cfr. Thucyd. VII, 86. Diod. XIII, 19, 33. Plut. Nic. l. c.

Pausanias memoriae prodidit, Demosthenem amisso exercitu ante captivitatem se interficere tentasse. cfr. I, 29, 12 ed. Im. Bekker.

Etiam Plutarchus non ignorat, Demosthenem gladio icto se fodisse, sed eo vulnere mortuum non esse. cfr. Nic. c. 27.

Justinus denique et Orosius confirmant, Demosthenem amisso exercitu a captivitate gladio et voluntaria morte se vindicasse. cfr. Just. IV, 5. Orosius II, 14.

Duae igitur sententiae occurrunt, una, qua interfecti esse duces perhibentur, secundum alteram ipsi sibi mortem consciverunt. Posterior haec sententia ad Timaeum auctorem videtur referenda, ex quo Plutarchus et fortasse etiam Orosius et Justinus eam sumpsit. Sed in hac re Timaeo non ita magnam fidem puto habendam. Quamquam enim res Sicilienses scripsit ipseque Siciliensis fuit, ita ut bene scire omnia posset, tamen amore patriae facile perduci potuit, ut ea, quae Syracusanis minus honori essent, omitteret aliamque rerum rationem proferret. Accedit quod Plutarchus alio loco itemque Pausanias tradunt, tentasse quidem Demosthenem sibi mortem infligere, sed nihil effecisse. Etiam haec res Timaeo causa potuit esse, cur illam ab aliis diversam sententiam proderet.

Alterius sententiae auctores sunt Thucydides et Diodorus. Prior disertis verbis trucidatos esse duces affirmat, et quidem invito Gylippo. Ubi vero Thucydides aliquid refert, maior est fides ei tribuenda, quam alii scriptori, quum inter omnes constet, summa industria ac diligentia eum omnia, quae ad rem suam propositumque pertinerent, perscrutatum esse neque ad diiudicandum ingenium ei defuisse. Praeterea testimonium hoc Thucydidis iis, quae Diodorus affert, confirmatur. Is enim similem in modum non nudam rem narrat, sed addit, statim post orationem a Gylippo habitam, duces Atheniensium trucidatos esse, ut perspici possit, et ipsum non inconsulto ita rem narravisse. Reliquum est, ut controversiam, quae inter Thucydidem et Diodorum videtur esse,

quum alter invito Gylippo necatos esse duces narret, alter Gylippum in oratione eorum mortem suasisse dicat, diluamus. Mihi quidem uterque scriptor suo iure ita rem narravisse videtur. Antea enim Gylippus contenderat, ut duces sibi traderentur Lacedaemonem ducendi.[72]) Quo a Syracusanis recusato, ut a tam egregiis ducibus patriam suam tutam redderet, ei agendum erat. Itaque postea sententiam eius ad interficiendos duces se convertisse minime est mirandum.

---

[72]) Cfr. Thucyd. VII, 86.

Pars tertia.

De rebus ab Hermocrate post Atheniensium in Siciliam expeditionem gestis.

Bellum in Sicilia finitum vehementius exarsit in Graecia. Quum imperium Atheniensium ob res nuper male gestas contemni coeptum esset, Lacedaemonii sociis illorum instabant dubiosque urgebant, ut desciscerent.[1]) Praeterea Lacedaemonii cum Dario, Persarum rege, Artaxerxis filio, foedus fecerunt.[2])

---

[1]) Cfr. Thucyd. VIII, 8. Diod. XIII, 34. — Multae urbes ab Atheniensibus ad Lacedaemonios defecerunt, quarum princeps fuit Chius, urbs opulenta cfr. Thucyd. VIII, 6, 14. Diod. XIII, 34. Cuius exemplum secuti sunt Erythraei cfr. Thucyd. VIII, 14. Clazomenii l. c. Teii c. 16. Milesii c. 17; item auctoribus Chiis Lebedus et Erae c. 19. Eressus c. 23. Methymna et Mytilene c. 22 sqq Rhodus c. 44. Thasus c. 64 — Byzantii c. 80 et Diod. XIII, 34; tota insula Euboea. c. 95.

Diodorus memoriae prodidit, etiam Samios ab Atheniensibus descivisse. At si librum octavum Thucydidis perlegimus, nihil de hac re commemoratum reperimus; e contrario Samum insulam ab Atheniensibus esse munitam ibique eos castra stativa habuisse. Sine ulla dubitatione hic est iterum Diodori error.

[2]) Cfr. Thucyd. VIII, 18, 37, 58.

His praemissis ad Hermocratem redeo. Is tunc auctoritate plurimum valens cives suos instigavit ad belli reliquias persequendas, ut imperium Atheniensium funditus everteretur. Ad quod consilium Syracusani eo paratiores erant, quo plures causas in bello perseverandi habebant. Nam et Lacedaemoniis optime de se meritis gratiam sibi referendam esse putabant, neque eos fefellit, fore ut Athenienses, si in Graecia superiores discessissent, quam plurimis cum copiis adventarent ad diluendam ignominiam, quam in Sicilia acceperant. Itaque Hermocratem atrocissimum Atheniensium hostem cum viginti duabus navibus,[3]) quarum duae Selinuntiorum erant, extemplo in Graeciam miserunt.[4]) Eodem tempore (aestate a. 412) Hermocrates cum classe in Graeciam advenit, quum Athenienses Argivis adiunctis et Lacedaemonii, a quibus Milesii et Tissaphernes, Darii, regis Persarum, praefectus stabant, ad Miletum proelium commiserant.[5]) Qua classe cum navibus Peloponnesiorum coniuncta, Therameni Lacedaemonio praeceptum est, ut utramque classem quinquaginta quinque navium ad Astyochum navarchum deduceret. Theramenes primum insulam Eleum Mileto adiacentem petens Athenienses Mileti esse nuntiato, in Iasicum sinum navigavit, ubi exploraret, quid ad Miletum gereretur. Ibidem duces classis (Theramenes et Hermocrates) ab Alcibiade, qui proelio ad Miletum commisso interfuerat, concitati,

---

[3]) Diodorus (XIII, 34) discrepans dicit triginta quinque fuisse naves, et mirum est, eum hac in re sibi esse constantem, quum eius libri c. 63 eundem numerum iterum commemoret. Attamen respiciendum est, numerum navium tredecim (cfr. XIII, 38), quibus a nonnullis Graecis Italiae civitatibus — secundum Thucydidem (VIII, 35) a Thuriis Lacedaemoniis missis Dorieus praefectus erat, numero „viginti duabus" a Thucydide tradito additum „triginta tres" efficere — cfr. Wesseling ad Diod. XIII, 38. De negligentia Diodori cfr. Krueger ad Dion. Hal. p. 320 sqq.

[4]) Cfr. Thucyd. VIII, 26. Diod. XIII, 34.

[5]) Cfr. Thucyd. VIII, 25 sq. Dodw. p. 219.

ut, si in Jonia vel potius ubique Atheniensium opes perdere vellent, quam celerrime auxilium Mileto ferrent, prima luce a Teichiussa ad Miletum solverunt. Sed quum Athenienses proximo vespere timore progredientis classis Mileto relicta ad Samum navigasse audivissent, Teichiussam redierunt, ut impedimentum, quod ex navibus exportatum illic reposuerant, assumerent.[6]) Quo facto Tissaphernes cum peditibus suis accessit eosque persuadendo eo duxit, ut sibi auxilium adversus Amorgen, Pissuthnae filium, ferrent. Is enim a rege Dario defecerat et urbem Iasum[7]) occupaverat. Itaque Tissapherni erat mandatum, ut eum bello persequeretur et vivum aut mortuum regi traderet. Suspicatione Amorgis naves advenientes esse Atticas et subito impetu evenit, ut Lacedaemonii urbe facile potiti illum caperent vivum, quem Tissapherni ad regem adducendum tradiderunt. Auxilia, quae Amorges secum habebat, Lacedaemonii, quod plerique erant Peloponnesii, nulla iniuria affecta suis ordinibus admiscuerunt. Urbs ipsa direpta Tissapherni concessa est, cui praeterea omnes captivi tam servi quam liberi sunt traditi ea conditione, ut in capita singula singulos stateres Daricos numeraret. Ad hanc urbem expugnandam Syracusani duce Hermocrate et vi et virtute plurimum contulerunt, ut Thucydides expressis verbis dicit, maximamque gloriam nacti sunt. Quibus rebus gestis classis coniuncta ad Miletum rediit.[8]) Ibidem Hermocrates et Tissaphernes discordes facti sunt. Hic enim postquam in unum mensem omnibus navibus singulas drachmas Atticas viritim praebuit, in reliquum tem-

---

[6]) Cfr. Thucyd. VIII, 26—29.

[7]) Ἴασος sive Ἰασσός est urbs Cariae ad sinum ab ipsa denominatum parva in insula terram tangenti sita, quae decem modo stadia in circuitu patet et piscatura clara est. Ab Argivis urbs condita Milesiisque amplificata est. cfr. Thucyd. VIII, 28. Polyb. XVI, 12; XVII, 2, 8; XVIII, 27 Livius XXXIII, 30. Arrian. I, 19, 10.

[8]) Cfr. Thucyd. VIII, 28.

pus idem facere recusavit, ternos modo obolos quotidie se daturum esse dictitans, donec rex integras drachmas singulis persolvi iussisset. Hermocrates, qui vir probus atque apertus hanc rem putabat iniquissimam, unus restitit, et auctoritate sua effecit, ut singulis plus persolveretur quam terni oboli.[9]) Eadem causa inter utrumque virum etiam plures controversiae ortae sunt.

Tissaphernes primo stipendium promissum satis diligenter praebuit, sed deinde ab Alcibiade viro callidissimo, qui palam Lacedaemoniis favebat, clam Atheniensium rebus studebat atque id moliebatur, ut in patriam revocaretur,[10]) incitatus, pro drachma Attica — ut mos erat Atheniensium — ternos obolos nec eos assidue solvit. Ne autem ea re milites contra se accenderentur, Alcibiade admonente trierarchos et duces civitatum donis in suam partem traxit. Verum ut Fabius ille Romanus auro Pyrrhi, ita Hermocrates quoque donis Tissaphernis corrumpi non poterat; e contrario ipse solus omnium pro universo sociali exercitu vehementissime huic rei se opposuit.[11]) Haud parvo temporis spatio contrito Astyochus et Hermocrates a Mileto cursum direxerunt ad Caunum, ubi classem viginti septem navium eadem hieme (412) a Lacedaemoniis Antisthene duce una cum undecim

---

[9]) Cfr. Thucyd. VIII, 29. Quot obolos singuli acceperint, ex illo loco Thucydidis confuso (VIII, 29 fin.) intelligi non potest.

[10]) Cfr. praecipue Thucyd. VIII, 47 init.

[11]) Cfr. Thucyd. VIII, 45. — Id imprimis quod Hermocrates potissimum Tissapherni stipendii detracti causa est adversatus, probitatis eius et humanitatis et sagacitatis praestantissimum testimonium est. Nam primum quidem fallaciae astutae, quas Tissaphernes una cum Alcibiade contra Lacedaemonios faciebat, eum omnino non effugerunt. Deinde ad commodum atque utilitatem suorum se opposuit, quippe qui stipendio imminuto rebus necessariis admodum respondere nequirent. Denique gratiam Tissaphernis aspernatus est, quam prae ceteris Astyochus adeo concupivit, ut officiorum summi imperatoris non semel oblivisceretur — cfr. Thucyd. VIII, 50.

legatis, quorum consilio Astyochus uteretur,[12]) missum secum coniungerent. In quo cursu copiis in Con Meropidem expositis, urbem muris carentem et terrae motu collapsam et ab incolis relictam diripuerunt. Quo facto sub noctem profecti sunt Cnidum. Sed quum ab eius incolis moniti essent, ut non expositis militibus recta via navigarent adversus viginti Atheniensium naves, quibus Charminus, unus e ducibus, qui tum ad Samum erant, viginti septem naves ex Peloponneso venientes, ad quas excipiendas et ipsi exierant, observabat, ad Symam contenderunt. Ibi ad proelium venit, ex quo Lacedaemonii, quum naves viginti septem, quas modo commemoravimus, a Cauno tempore auxilium ferrent, superiores discesserunt, et tropaeo posito Cnidum reverterunt.[13]) Eadem hieme cum tota classe, quae tum nonaginta quatuor navium erat, profecti sunt ad Rhodum, ubi quum cives eo adduxissent, ut ab Atheniensibus deficerent, duobus et triginta talentis exactis navibusque subductis dies octoginta quieverunt.[14]) Sub extremam hiemem Lacedaemonii in Euboeam acciti sunt, ut hanc totam insulam ad defectionem permoverent. Sed priusquam eo profecti sunt, Chiis vehementer vexatis auxilium ferre maluerunt. A quo proposito conspectu classis Atheniensium deterriti Miletum se contulerunt, ubi a Tissapherne retenti sunt.[15]) Ibidem inter classicos Lacedaemoniorum milites murmur contra Astyochum et Tissaphernem cunctandi causa et ignaviae ortum est. Neque iniuria. Usque enim ad id tempus mari modo huc modo illuc vagando nihil magni momenti confectum erat. Astyochus cunctabundus rem ad discrimen non perduxerat, Chios produxerat falsa spe,[16])

---

[12]) Cfr. Thucyd. VIII, 39.

[13]) Cfr. Thucyd. VIII, 41.

[14]) Cfr. Thucyd. VIII, 44.

[15]) Cfr. Thucyd. VIII, 60, 57.

[16]) Cfr. Thucyd. VIII, 31, 33, 38, 40.

cum Alcibiade consilia et literas communicaverat,[17]) erat denique per Tissaphernem corruptus donis ac largitionibus.[18]) Tissaphernes ipse naves Phoenicum a se arcessi simulaverat.[19]) Itaque fieri non potuit, quin milites tandem diffiderent. Multo prius dum ipsorum vires validae, hostium exiguae fuissent, acie dimicandum fuisse, questi sunt. Nec iam quidem, quum Athenienses seditione domestica laborarent,[20]) necdum naves eodem loco congregatas haberent, rem ad decertandum venire. Tissaphernem ambigua fide naves Phoenicum non adducere, stipendium militibus neque assidue neque integrum persolvendo classem affiigere. Quorum omnium Astyochum auctorem esse, qui privati emolumenti causa Tissapherni morem gereret. Indignatio vero atque odium militum aucta sunt, quum Mileti de Alcibiadis ad Athenienses reditu certiores facti essent. Ex indignatione ortus est tumultus. Syracusanorum et Thuriorum nautae cum impetu Astyochum aggressi stipendium violenter poposcerunt. Quos quum dux (Hermocrates) adiuvaret, Astyochus ei baculum minitatus est. Tum milites clamore sublato Astyochum invadunt, qui lapidibus percussus esset, nisi ad aram quandam tempore confugisset. Etiam in Tissaphernem saevitum est. Milesii quum ceteris sociis tum Syracusanis consentientibus castellum a Tissapherne Mileti aedificatum, facto clam impetu, praesidio, quod illic erat, eiecto, occuparunt. Ex eo, quod imprimis Syracusani milites eiusmodi querelas iactabant, coniici potest, Hermocratem eas non modo non depressisse, sed etiam aluisse atque auxisse.[21])

---

[17]) Cfr. Thucyd. VIII, 50, sq.

[18]) Cfr. Thucyd. VIII, 45.

[19]) Cfr. Thucyd. VIII, 46, 59.

[20]) Cfr. Thucyd. VIII, 47 77,

[21]) Cfr. Thucyd. VIII, 78, 83 – 85.

Hermocratem ab hisce quaerelis alienum non fuisse, ex iis, quae Thucydides addit: „καί τινες καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀξίων λόγου ἀνθρώπων (VIII, 83) aperte elucere mihi videtur, quandoquidem ipse iam

Eodem tempore Astyocho imperium abrogatum et Mindarus suffectus est. Astyochum domum redeuntem comitati sunt Milesii et Hermocrates, illi ut in Tissaphernem inveherentur, hic ut demonstraret, eundem cum Alcibiade rebus Lacedaemoniorum nocere fideique ambiguae esse. Itaque Lacedaemonii caverent, neve diutius cum eo agerent.[22]

---

antea (cfr. p. 48 sq.) non contentum ratione Tissaphernis neque minus Astyochi se praestitit. Ad hoc Thucydides refert (VIII, 84) Astyochum Syracusanorum Thuriorumque nautis, qui tumultu concitato, quo liberiores fuerint, eo procacius stipendium flagitaverint, arrogantius respondisse, quin etiam τῷ Δωριεῖ nautis patrocinanti minitatum esse baculum. At quaeritur, quis τῷ Δωριεῖ intelligendus sit. Aut Dorieus, Diagorae filius, dux Thuriorum, aut Hermocrates intelligendus est. Thuriorum ducem hoc loco dici non potuisse, verisimile mihi videtur, quum illum cum nonnullis navibus Cnidum missum esse Thucydides (VIII, 35) narret neque constet, eum in numero tumultuariorum fuisse. Accedit quod Diodorus (XIII, 45,) itemque Xenophon I, 1, 2 Hell. narrant Dorieum post hoc tempus cum Mindaro, qui Astyocho successit, ad Abydum naves coniunxisse. At Hermocratem, qui iterum atque iterum restiterit, intelligendum esse, verisimile est. Atqui ne „τῷ Δωριεῖ" quidem huic sententiae obstat. Obiter moneo Vallam „τῷ γε Δωριεῖ" vertisse per „Hermocrati" eandemque lectionem Scholiasten novisse, qui τῷ γε Δωριεῖ — τῷ Ἑρμοκράτει cfr. Krueger ad Dionys. Hal. p. 320. Etiam articulus „τῷ" huic sententiae favere videtur. Dorieum enim Thucydides multo antea (VIII, 35) semel memoravit, neque vero id satis videtur esse, ad hunc virum ut notum reiicere. At Thucydides ad Hermocratem, quem saepius repugnavisse narrat, respiciens, dicit: „τῷ Δωριεῖ" id est „noto Doriensi" quem iam saepe in hac re commemoravi." Itaque Δωριεύς non nomen proprium, sed appellativum est. Denique colligi potest, Thucydidem hoc vocabulo mores Hermocratis significasse. Dorienses enim natura duri et graves et in omnibus rebus perseverantes erant. Thucydides igitur dicere vult „ille Doriensis, qui non desistebat ab iis, quae sibi proposuerat, sed ultima experiebatur." (cfr. etiam Grote „Gesch. Griechenlands" p. 383 Bd. IV).

[22]) Cfr. Thucydides VIII, 85. — Quod Thucyd. refert, Hermocratem eodem tempore, quo Astyochus imperio demotus sit, e patria expulsum esse, erroris argui posse videtur, quamquam nonnulli, ut Dodwellus, vir doctissimus, eum secuti sunt. Equidum Kruegeri sententiam praefero, qui confirmat,

Haud multo postea quam Astyochus et Hermocrates Lacedaemonem profecti sunt, Tissaphernes iniectas suspiciones ut dilueret, classem Phoenicum adducere paravit.[23]) Sed quum neque ipse neque naves Phoenicum venirent, nec Tamus, legatus eius, militibus stipendium praeberet, contra autem comites a Lacedaemoniis una cum Tissapherne missi scripsissent, Pharnabazum ceteras suae provinciae urbes ad defectionem ab Atheniensibus faciendam compulsurum esse, dummodo ei classis mandaretur, Mindarus eadem aestate (411) cum septuaginta tribus navibus in Hellespontum ad Pharnabazum solvit.[24]) Non ita multo post adventum eius, quum Athenienses de eo certiores facti essent, ad Cynossema[25]) inter Sestum situm atrox proelium, in quo Syracusani duce Hermocrate in dextro cornu pugnaverunt, commissum est.[26]) Sua ipsorum securitate atque incuria Lacedaemonii iam

---

Thucydidem praecepisse tantum, quod postea factum sit. Animadvertendum est, rationem et compositionem libri octavi Thucydidis confusam esse, ut a solito scribendi genere omnino discrepet. Itaque coniici potest, aut librum non scripsisse Thucydidem, aut, si scripserit, ei extremam manum non imposuisse. Utcunque res se habet, sive alius hoc libro opus Thucydidis confecit, sive ipse restricte et carptim res perscripsit, utique error irrepisse videtur. cfr. Krueger „de Thucydidis historiae parte postrema" in edit. Dion. Hal. p. 251 sqq. — Accedit quod Diodorus et Xenophon a Thucydide discrepant, quorum alter Hermocratem proelio navali ad Cynossema commisso (411) dextro cornui praefuisse, alter proelio ad Cyzicum facto (410) interfuisse refert. Quando Hermocrates ad classem redierit, certe non scimus, tamen constat e Diodoro, eum, antequam apud Cynossema certatum sit, revertisse

[23]) Cfr. Thucyd. VIII, 87.

[24]) Cfr. Thucyd. VIII, 99. Diod. XIII, 38. Dodw. p. 233.

[25]) Cynossema, id est canis sepulcrum, promontorium est Chersonesi Thraciae ad Madytum situm, quod ab Hecabe in canem conversa denominatum est. cfr. Strabo VII, p, 283 sq. (Fragm.) Pomponius Mela II, 2 p. 144. ed. Gronov. et praeterea Is. Voss. p. 685. Ovid. met. XIII, 423. Euripides „Hecuba" v. 1273 (ed. Pflugk).

[26]) Cfr. Thucyd. VIII, 100—104. Diod. XIII, 39.

victores victi eorumque una et viginti naves, in quibus una ex Syracusanis, captae sunt.[27])

Deinde quum ad Dardanum inter Dorieum et Athenienses aequo Marte pugnatum esset,[28]) maius proelium ad Abydum editum est. Quum enim Mindarus, qui apud Ilium Minervae sacrificabat, periculum Doriei animadvertisset, Abydum reversus extemplo cum universa classe octoginta quatuor navium Dardanum petiit, ut naves eius exciperet. Etiam terrestres Pharnabazi copiae ad classem Lacedaemoniorum adiuvandam profectae sunt. Atque quum Athenienses cum tota classe septuaginta quatuor navium hostibus processissent, gravi impetu concursum est. Proelium a matutino tempore ad solis occasum dubium fuit, donec repente Alcibiades ex Samo in Hellespontum non forte, sed consulto[29]) navigans conspectus est.[30]) Itaque Lacedaemonii spe sibi auxilium latum iri destituti adeo deterriti atque perturbati sunt, ut in fugam se verterint, demumque ad Abydum auxilio Pharnabazi, qui princeps exercitus sui fortissime pugnabat,[31]) a persequentibus Atheniensibus liberarentur.[32])

Quo in proelio Syracusani in laevo cornu pugnaverunt. Hermocratem autem eorum fuisse ducem, nusquam invenitur, sed quum postea exercitui praefuerit,[33]) nihil est, quod de hac re dubitemus.

---

[27]) Cfr. Thucyd. VIII, 105 sq. Diod. XIII, 40.

[28]) Cfr. Diod. XIII, 45.

[29]) Cfr. Grote IV, p. 398.

[30]) Cfr. Diod. XIII, 45 sq. Xenoph. Hell. I, 1, 2.

[31]) Diodorus confuse dicit, Pharnabazum propterea eo fortius pugnavisse, ut omnia, quorum insimulabantur, purgaret. Sed quis nescit, non Pharnabazum, sed Tissaphernem Lacedaemoniorum odium atque iram in se convertisse? cfr. de hac re Krueger ad Dionys. Hal. — praeterea etiam Thucyd. VIII, 109.

[32]) Cfr. Diod. XIII, 46. Xenoph. Hell. I, 1. 4 sq.

[33]) Cfr. Xenoph. Hell. I, 1. 18 sqq.

Post id proelium Lacedaemonii triremibus undique contractis Cyzicum, quo Pharnabazus magno cum exercitu terrestri secutus est, navigarunt, urbemque copiis expositis circumdederunt castris. Quum Athenienses de hac re certiores facti eodem advenissent, venit ad pugnam, (410) qua, postquam diu terra marique atrocissime pugnatum est, et classis Lacedaemoniorum et exercitus Pharnabazi terrestris ita devicti sunt, ut Mindaro navarcho occiso omnes triremes ad unam, exceptis Syracusanis, quae ab ipsis incensae erant, ab Atheniensibus captae sint. [34])

Post talem calamitatem quae sors exercitus fuit? Animus militum fractus — dux occisus — naves amissae — inopia consilii, quid agendum esset, perturbatio et desperatio et fames non aberant! [35])

Pharnabazus copiis et Lacedaemoniorum et Syracusanorum prospexit et consuluit, et materiem ad naves aedificandas arcessivit. [36]) Neque minus Hermocrates de iis bene meritus est. Namque diligentiam illam et alacritatem et humanitatem, quam Xenophon magnis laudibus effert (I, 1, 21) in his temporibus maxime prae se tulit. Nemini consilium eius defuit. Optimum quemque ex triremium praefectis et militibus classiariis sibi cognitum in tabernaculum suum ad deliberationem mane ac vespere invitabat et cum iis quid vel dicturus vel acturus esset, communicabat. Ita familiariter cum iis deliberabat, ut alia non meditata extemplo proferri iuberet, alia rebus diu multumque animo reputatis. Quo factum est, ut in consilio militari plurimum valeret omniaque, quae dicebat vel suadebat, optima iudicarentur. [37])

Interim Antandri naves aedificari coeptae sunt. Dum hae parantur, Syracusani Antandrios in muro exstruendo

---

[34]) Cfr. Diod. XIII, 49. Xenoph. I, 1, 9 sqq.

[35]) Cfr. Xenoph. I, 1, 15.

[36]) Cfr. Xenoph. I, 1, 16 sqq.

[37]) Cfr. Xenoph. I, 1, 21.

adiuverunt. Qua re tantum incolarum favorem sibi conciliaverunt, ut non modo bene de Antandriis promeriti vocati sint, sed etiam eius urbis civitatem acceperint.[38]

Sub idem tempus (409), quo Pharnabazus omnibus, quae ad classem et exercitum Lacedaemoniorum et Syracusanorum spectabant, institutis, Chalcedonem contendebat, ut, quum Atheniensium duces a Cyzico eodem devecti castellum quoddam Chrysopolim condidissent, opem ferret,[39] Hermocrati eiusque collegis nuntius exilii, quod iis plebiscito fuerat irrogatum, delatus est.

Singulos saepe viros eosque de patria optime meritos malam ab ingratis civibus gratiam accepisse, quum ex tota Graecarum rerum historia, tum exemplo Hermocratis elucet. Sed Syracusanis etiam aliae causae exstiterunt, cur Hermocratem in exilium mitterent. Eo absente Diocles princeps populi ducum novam reipublicae formam instituerat, legibus perlatis, ut magistratus sorte capesserentur et praeterea legum latores designarentur, qui reipublicae statum componerent, novasque leges conscriberent. (cfr. Diod. XIII, 34.) Sed quum essent, quibus novae res displicerent, domesticae controversiae ortae sunt. In tali reipublicae statu Hermocrates a quibusdam esse desideratus videtur. Quod quidem populi duces non effugit. Qui metu ne is vir rediret et militibus nixus tyrannidem occuparet, praeveniendum esse rati populum eo adduxerunt, ut eum relegaverit. — Cfr. etiam Niehues dissert. p. 7.

Quae quum ita sint, convocatis militibus Hermocrates ceterorum nomine verba faciens de calamitate sua conquestus sese per iniuriam et praeter leges expulsos esse, milites

---

[38]) Antandrios ab Astaco, Tissaphernis legato, multum vexatos esse Thucydides refert. (VIII, 108). Ab eodem fortasse murus eorum dirutus est. Hermocrates igitur vetere in Tissaphernem odio facile ad misericordiam incolarum commotus Syracusanos adduxisse videtur, ut Antandrios in muro aedificando sublevarent.

[39]) Cfr. Diod. XIII, 64.

exhortatus est, ut etiam deinceps audientes essent dicto et prompte fortiterque ad mandata perficienda se gererent, quemadmodum ad id tempus fecissent. Praeterea admonuit, ut alios duces eligerent, donec adessent ii, qui iam suo loco essent designati. Hac re animi militum tantopere permoti sunt, ut omnes clamore sublato imprimis triremium praefecti et milites classiarii exposcerent, ut duces manerent, neve imperium omitterent. Sed ille contra monuit, adversus rem publicam seditionem facere non licere; sin vero domum revertissent, suam causam agerent vanasque accusationes diluerent. Quum milites acclamarent, id se neglecturos non esse et iterum precibus atque lacrimis obtestarentur, ut manerent, sese mansuros esse respondit, quoad successores adessent. Denique duces non ita dimissi sunt, ut quisque quo visum esset, concederet, sed maxima pars eorum, qui triremibus praefecti erant, iure iurando erat adacta, se illos, ubi primum redissent, in patriam esse reducturos.[40]

[40]) Cfr. Xenoph. Hell. I, 1, 18—21.

Pars quarta.

Hermocrates quae fecerit exsul.

Hermocratem quanta ira et odio Tissaphernes persecutus est, tanto amore complexus est Pharnabazus. Qui eo Syracusanorum duce familiariter usus est, exsulem magna pecunia sublevavit.[1]) Qua instructus Hermocrates Messanam traiecit et quinque triremibus aedificatis mille milites suo aere conduxit. Himeraeorum praeterea e patria eiectorum circiter mille assumptis, reditum in patriam amicis adiuvantibus moliebatur. Sed quum assequi non posset, id quod sibi proposuerat, per mediterraneas terras profectus occupavit Selinuntem, et parte urbis muris circumdata Selinuntios salvos[2]) undique convocavit. Multis quoque aliis huc receptis, ita ut milites numerum sex milium complerent, Carthaginienses vexare coepit. Atque primum quidem agros Motyenorum depopulatus est; qui quum ad hostem depellendum egressi essent, magna cum clade in urbem reiecti sunt. Deinde

---

¹) Cfr. Xenoph. Hell. I, 1, 22.

²) Significantur duo milia sexcenti Selinuntiorum, qui urbe ab Hannibale deleta (409) Agrigentum confugientes excepti sunt cfr. Diod. XIII, 58.

fines Panormitarum invasit et ingentem praedam fecit. Ipsi quum ei instructa ante urbem acie occurrissent, ita superati sunt, ut circiter quingentis necatis reliqui moenibus se includere coacti sint. Pariter alias regiones, quae Carthaginiensium ditioni subiectae erant, depopulatus est, qua re apud Siculos magnam laudem sibi paravit.

Paulatim multos Syracusanos exsilium Hermocrati, viro virtute praedito, irrogasse poenitebat.[3]) Quo factum est, ut saepe in contionibus populi sermo de eo fieret, neque animi a reducendo viro abhorrerent. Quae quum ita essent, Hermocrates de mutata civium sententia certior factus reditum eo maiore studio paravit, quo magis non ignoravit ipsius adversarios omni vi renisuros esse.[4]) Itaque cohortibus Selinunte eductis quum Himeram petisset, prope urbem nuper eversam[5]) castra posuit. Ubi quum diligenter requirendo cognovisset, quo loco Syracusanorum acies stetisset, caesorum ossa collegit eaque curribus pretiose exstructis imposita Syracusas transtulit. Ipse quidem ad fines remansit, quos exsulibus lege Syracusanorum transgredi interdictum erat,[6]) sed ex comitibus nonnullos ad currus transvehendos misit. Quod quidem eo consilio fecit, ut Diocli, qui corpora caesorum sepelienda non curaverat,[7]) odium populi conflaret et invidiam, ipsi vero propter humanitatem mortuis tributam benevolentiam ac pristinam gratiam recuperaret. Sed quamquam Diocles, quod dissuaserat, ne ossa apud Himeram caesorum (cfr. Diod. XIII, 62) sepelirentur, tunc exsilio multatus est, tamen Hermocrates, quod propter magnam eius audaciam metuebatur, ne, si quando magistratum adeptus esset, regnum occu-

---

[3]) Cfr. Wesseling. ad Diod. XIII, 63.

[4]) Cfr. Diod. XIII, 63.

[5]) Cfr. Diod. XIII, 61.

[6]) Cfr. Demosth. orat. in Polycl. p. 48 (oratt. Attic. ed. Baiter et Sauppe.)

[7]) Quam studiose et Graeci et Romani caesorum in proeliis corpora sepeliverint cfr. Joh. Kirchmannus Append. „de funeribus“ c. 3.

paret, non est revocatus. Qui quum ad vim adhibendam tempus minime opportunum esse persuasum haberet, Selinuntem se recepit. Sed non multo post ab amicis accitus cum tribus armatorum milibus processit et per fines Geloorum profectus noctu ad locum constitutum pervenit. Maxima militum parte relicta ipse a paucis comitatus ad portam Achradinae progressus est. Ubi quum amicorum nonnullos inveniret, qui illa loca iam occupaverant, relictos quoque arcessivit. Vix rumor de nocturno impetu Syracusas pervaserat, quum magna multitudo armati in forum procurrunt, cum furore invadunt, Hermocratem ipsum et maximam partem comitum obtruncant. [8]) (408.) Is exitus fuit viri de Syracusanis optime meriti, Hermocratis, quem, ut multos in Graecis Graecaeque originis civitatibus invenimus, civium ingratorum invidia atque metus ita vexavit, ut, quum potentia florentem ex finibus eiecissent, ne mortui quidem ossa requiescere passi sint in patria terra.

Iam restat, ut pauca loquamur de progenie Hermocratis. Nihil aliud memoriae proditum est, nisi ei fuisse filiam, quae postea (406) Dionysius maior tyrannus matrimonio sibi coniunxit eo consilio, ut nobilem domum affinitate sibi adiungeret ad regnum stabilius confirmandum. [9]) Haec autem filia Hermocratis, quodcumque ei nomen fuit, [10]) iam anno postquam Dionysio nupserat (405) in equitum Syracusanorum defectione et tumultu correpta foede et crudeliter trucidata est. [11])

---

[8]) Cfr. Diod. XIII, 75.

[9]) Cfr. Diod. XIII, 96.

[10]) Chariton Aphrodisiensis memoriae prodidit nomen filiae Hermocratis „Callirrhoen", eandem puellam admirabilem et totius Siciliae decus fuisse, quum ei divina sane, non humana, neque Nereidis aut montaneae alicuius Nymphae, sed Veneris ipsius species contigisset. Quo factum esse, ut proci Syracusas undecunque confluxissent, non illi privatae sortis, sed et tyrannorum filii, non Siculi modo, sed et Itali, et Epirotae. [12])

[11]) Cfr. Diod. XIII, 112, XIV, 44 — Plut. Dio. D'Orville animadverss. in Charit. Aphrod. p. 11, sq.

[12]) Chariton „de Chaerea et Callirrhoe" init.